3 1761 07274554 0

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/saturarummenippe00varr

34

M. TERENTI VARRONIS

SATVRARVM MENIPPEARVM

RELIQVIAE

25sR

M. TERENTI VARRONIS

SATVRARVM MENIPPEARVM

RELIQVIAE

RECENSVIT, PROLEGOMENA SCRIPSIT, APPENDICEM ADIECIT

ALEXANDER RIESE

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
A. MDCCCLXV

Disquisitio ignotorum tanto iucundior quanto subtilior est.
Sententiae Varronis.

225-03
23/3/92

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI.

FRIDERICO · RITSCHELIO

ALFREDO · FLECKEISENO

PIETATIS · CAVSA

ALEXANDER · RIESE

D · D

PRAEFATIO

M. Varronis saturarum Menippearum edendarum munus cum minus quam reliquorum eiusdem librorum tractatio hoc requirat, ut opera antiquitatis quae supersunt fere omnia perlegantur et excerpantur, magis quam illi et uerborum emendationem et iustam ipsius librorum indolis aestimationem praecipue sibi postulat. Quorum negotiorum altero meis tantummodo uiribus nisus in prolegomenis pro uirili parte fungi sum conatus; in altero autem suscipiendo et ut decet a certa codicum scriptura incipiendo magna uirorum doctorum liberalitas magnopere me adiuuit, quibus uiris pro insigni erga me studiaque mea benignitate publice nunc gratias quam maximas animo laetissimo testificari licet. Etenim de Gellianis locis Martinus Hertzius, cuius inlustrem humanitatem ego quoque non uno nomine expertus sum, de Seruio et Philargyro Georgius Thilo me certiorem fecerunt. Nonii autem Marcelli codicem Guelferbytanum (Gudianum 96 saec. XI) F. G. Kiesslingio, quo praeside humanissimo in gymnasio Ioachimico Berolinensi olim docebam, Leidensem (Vossianum 73 saec. XI) Theodori Mommseni uoluntate intercedentibus ipse in manus meas

accepi. Bambergensis deinde libri scripturas ex Alfredi Fleckeiseni uiri optimi exemplari Nonii transcribere licuit, cui libro simillimus esse uidetur codex Leidensis 116, cf. adnotatio ad Modii frg. XVII p. 172; Harleiani autem codicis (2719, saeculi fortasse IX) locos ad saturas pertinentes Maximilianus Bonnetus amicus mihi carissimus dum Londini uersatur quamuis summis ipse temporis angustiis circumscriptus tamen usque ad p. 117 Merc. integros contulit, sequentium eos tantum quorum lectiones maioris momenti esse ei significaram. De Parisinis denique Fridericus Hagenbachius mihi amicissimus pauca adnotauit, quae suis locis inuenies; unde hoc apparet, non multi eos esse preti sed ex Leidensi uel eius simillimo sed neglegenter deriuatos. Nolo quidem nunc de libris Nonianis disputare, quod commodiore fortasse aliquando loco faciam largiore apparatu instructus; haec tantum dico, Guelferbytanum codicem (*W*) cum Harleiani (*H*) manu secunda fere consentire, Leidensem (*L*) ad Harleiani primam manum propius accedere, quae tamen non raro a reliquis omnibus diuersa libris Helueticis a Rothio et Gerlachio passim adlatis simillima est. Bambergensis (*B*) denique, quem nimis laudare nolo, cum nullo illorum arte coniunctus est.

His igitur subsidiis instructus hanc editionem paraui, de qua nonnulla nunc praefari lubet. Et primum quidem hoc uelim legentes animo teneant, me in fragmentis ordine disponendis non illud uoluisse efficere, ut pristinum eorum in saturis ordinem recuperarem (quo labore quis foret audacior?), sed hoc tantum, ut si plura fragmenta similes res tractarent, ea aptissimo rebus ordine sese exciperent omninoque ut ubi plures reliquiae extarent ordinem non qui fuisset sed qui esse potuisset instituerem. In critica autem adnotatione hoc inprimis egi, ut codicum scripturam

quam accuratissime ubique describerem; quo de consilio in Nonianis libris *BHLW* adhibito hoc monco, ubicunque de *H* taceo, me nil comperisse (uid. supra), ubicunque de *B*, locos ibi non extare; nam tertium quartumque Nonii caput permultaque praeterea scriptorum testimonia in hoc libro desunt. Attuli etiam quae de aliis codicibus undecumque comperi. In coniecturis uero narrandis me non plane omnia recepisse studiorum Varronianorum periti facile probabunt magisque uereor ne nimis quam ne parum opinationum retulisse uidear. Praecipue autem ut decuit in antiquissimarum editionum et Popmae et Gerlachi et Roeperi commentis adscribendis modum tenui; neque fere alicubi secundos si qui erant coniecturarum inuentores nominaui. Versuum quoque auctores ut indicarem operam dedi, quamquam magno meo incommodo editiones Nonii Iuniana (quae emissa est Antuerpiae a. 1565) antiquiores adire non licuit praeter unam Venetiis a. 1492 editam, ubi uersibus instituendis opera nondum data est. — Fragmentis ipsis perpauca tantum addidi; unum mihi omittendum fuisse doleo quod Lucianus Muellerus mihi quondam narrauit extare in scriptore Hispaniae ecclesiastico saeculi septimi, cuius nomen se effugisse, sed esse neque Isidorum neque Eugenium Toletanum; uersum autem esse choliambum. Quem diu multumque scrutatus postquam non inueni, feliciori ut indagandum relinquam coactus sum.

In Graecis uocabulis graece latineue exarandis cum codices nullam omnino normam praebeant ita uersatus sum, ut quae tunc in latinum iam sermonem recipi potuisse uideantur (e. c. Marcopolis, rhythmos) latinis, reliqua (e. c. *Κοσμοτορύνη*, *περίδειπνον*) graecis litteris scriberem: lex incerta sane, sed qua aliam uidi nullam. Signis talibus [ ] quae inclusi, in libris desunt sed addenda uidentur; quae

uero in libris extantia delenda sunt, ea in adnotatione tantum commemoraui. Aliorum scriptorum uerba adlata litteris latiore spatio inter se segregatis distinxi; id quod paucis locis, quos infra indicabo, neglectum esse piget.

In appendice quod et Menippi Meleagrique praeter epigrammata reliquias et Varronis librorum in quibus remissiore stilo usus est omnium[1]) fragmenta recepi, nemo puto reprehendet. P. autem Varronis Atacini fragmenta subieci, ut, quae sit illius poesis indoles quomodoque ea a Reatini uersuum ratione discrepet, uno conspectu eluceat; quas quamquam toto caelo quod aiunt inter se distant, tamen nuper uel Reifferscheidius (Suetoni rell. p. 197 not.) satis discernere noluit. Sententias denique Varronis quae dicuntur addidi, quia non absonum puto conicere, aliqua certe ex parte (nam aliae facili opera postea addi potuere) eas e Varronis libris deriuandas esse. Nam insunt sententiae quales liberalior tantum excultiorque medio aeuo aetas mea quidem sententia inuenire potuit quaeque Varronis ingenio aptissimae sunt; nec obstat sermo qui profecto illius aeui barbarie foede infectus est, cum in talibus florilegiis sententias tantum respicere, uerba neglegere suoque usui accommodare possent[2]). Exemplo sit sententia 56 'omnia

---

[1]) Hinc epistularum fragmenta recepi, epistulicarum quaestionum omisi.

[2]) Inscriptio etiam quamuis corrupta ad antiqua nos reuocat tempora. Nam inscribitur codex Patauinus 101 saec. XIII 'Prouerbia Varronis ad Paxianum', Atrebatensis autem 305 saec. XIV 'Sententiae Varronis ad Papirianum Athenis audientem', unde Vincentius Bellouacensis (spec. hist. VII 58 all.) 'ad Atheniensem auditorem' effinxit. Inde reliqui pendent, nisi quod Dublinensis aliquis codex (cf. Oehlerus ann. philol. LIV p. 138) 'Prouerbia Varronis ad Papyrianum senatorem Rom.' exhibet. Qui siue fuit Paxianus nomine siue Papirianus, Athenis certe audiit i. e. studiis incubuit, quod non potuit facere nisi ante a. p. Chr. 529, quo anno scholae ibi clausae sunt. Profecto

nosse impossibile', quacum conferas Varronis de re rustica II 1,3 'nemo omnia potest scire'. Sin uero Varro ipse suas in his sententiis partes habet, non dubito quin nonnullae earum e saturis (quare paucula uersuum uestigia deprehendimus) petitae sint, quae sententiose dicta continebant permulta, cf. e. c. Aborig. III. Agatho III. de off. mar. I Eumen. XI alia. Quare ne ullam rem omitterem quae ad saturarum cognitionem usui esse posset, has quoque sententias integras (nam genuinas eligere non possumus) adposui; de quibus qui plenius edoceri uolet, Chappuisii editionem Parisiis a. 1856 emissam adeat.

Superest ut indicem, quae in libro foras iam proditurо corrigenda addendaue inuenerim.

p. 1. '*Plurimos libros*' Varronis Mercklinus mus. philol. XIX p. 17 saturas solas intellegit.

p. 4 sqq. Reliquos saturarum scriptores commemorare potui Naeuium (cf. Festus p. 257 a 'Naeuius — in satyra: *quianam Saturnium populum pepulisti*'), Pacuuium (cf. Diomedes p. 486 K.), Attam (cf. Isidorus orig. VI 9 'Atta in satyra dicens: *uertamus uomerem In ceram, an mucrone umquam aremus osseo?*'), Pomponium (cf. Priscianus VI 2 'Pomponius in satura: *cuiusuis leporis Liber diademam dedit*'. ib. VI 18 'Pomp. in satura: *blanda fallax superba impotens discordis*'. Nonius 112, 4 'Pomponius — saturarum [?]: *non frustilatim nec minutatim dari*'), Albutium 'cuius Luciliano charactere sunt libelli' (Varro r. r. III 2, 17).

p. 7. Mercklinus l. c. Quintilianum sensisse putat 'non sola carminum, sed etiam rerum uarietate'; perperam, cum in Lucilio quoque rerum uarietas et 'eruditio mira' praedicetur.

---

autem non ipsius Varronis erat, tale ex suis ipsius scriptis florilegium componere, sed posterioris hominis ex illius libris excerpentis (qui quo tempore ante a. 529 uixerit incertum est); quare ne Papirianum illum uel Paxianum in Varronis amicis cum Schneidero Deuitio aliis quaeramus cauendum est.

p. 18 l. 11 e p. 109 emendanda est.

p. 35. Heraclides Zoroastrem etiam libri titulum fecit.

p. 37 not. 3 adde: Cf. Wilmanns de Varronis libris grammaticis p. 36 not.

p. 38 not. 3 adde: Wilmanns ibid. p. 9 not.

p. 40 l. 21 lege *Περίπλους*.

p. 48. de Atilio Serrano perperam iudicaui, cf. p. 207 sq. not.

p. 58, 3. dele *describere*.

p. 62. Manii frg. XVI lege XV; XVII leg. XVI.

p. 66. Manii frg. XIII lege XII; XV leg. XIV.

p. 70. not. 2 Genetiuis non in *-uis* exeuntibus adde *uictus* (Virg. diuin. IV).

p. 70 l. 14 pro *quater* lege *ter*.

p. 71. Manii frg. XV leg. XIV.

p. 75. - - XIV leg. XIII.

p. 77. - - XV leg. XIV; XVII leg. XVI.

p. 75. *Delphice* sqq. e carmine morali aptius quam e tragoedia deducentur.

p. 76 l. *πιὼν* pro *πίνων*.

p. 78. Nescio an Endymionum frg. VI prosam poeticamque orationem suam (non poesim dixerim Enni) non unius sententiae ambitu coniungat.

p. 83. adde iambicos dimetros (Syneph. V).

p. 85 sq. Testam. I non dicere ionicum tetrametrum, sed simpliciter inter galliambos referre debui.

p. 86. Glyconeis ante Varronem usus esse uidetur Scantius loco a Varrone Eumen. VII p. 126 seruato.

p. 88 med. Adde *tonimu'* [*canimu'*] Eumen. XXXV.

p. 88 not. 1. *u'* scriptum esse inde quoque fortasse apparet, quod Man. XII '*legibus nec luxu*' illa '*nec luxu*' excidere: scilicet per homoeoteleutum *legibu'* hoc factum est.

p. 89 l. 6 adde *Pacŭi* (*Ὄν. λύρ.* XXII).

p. 89 l. 27 adde *dūplicarat* (*Ἀνθρ.* I).

p. 94. Abor. IV Mommsenus hist. Rom. II p. 418 recte intellegit de introductis deorum imaginibus.

p. 94. adn. ad Abor. V lege: *ανορων* H m. pr. *αντρωπων* H m. sec.

p. 95. Agath. III. Ribbeckius tragg. lat. p. 281 praeter Agathonem etiam *Dulorestem* saturam accipit.

p. 98. l. 5 a fine ‘*nunt.*’ scribe pro ‘nunt.’

p. 98. not. ad *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς* suppleas ‘*ἐπὶ τῶν ἰσχυρῶν καὶ κραταιῶν*’ Diogenianus I 63.

p. 99, 8. [*et*] pro *et* scribe.

p. 102, 9. *aëra* scribe.

p. 105, 6 a fin. adde: *ueteres repuerascunt* Meinekius. *puerascunt* Friedlaenderus hist. cultur. Rom. II p. 74.

p. 111, 8. Malim iam pro Caelibe *Caesaris* nomen aliquo modo in inscriptione ponere.

p. 115 not. adde: Ioannes Sarisb. Policr. VI 26 ‘Varro in satira quae Menippaea inscribitur et de officio mariti instituta est, ait: Vitium coniugis aut tollendum est aut ferendum. Qui tollit uitium, commodiorem coniugem praestat; qui fert, se ipsum efficit meliorem.’ Hinc deprompsit Arnoldus de Hollandia, cf. Chappuis sentences de Varron p. 58.

p. 117. not. ad *Διὸς παῖδες οἱ γέροντες*: ‘*ἐπὶ τῶν πρὸς τὸ γῆρας εὐηθεστέρων*’ Diogenianus IV 18.

p. 118, 9. pro *Lugdun.* lege *Voss. mai.* et *Voss. min.* pro *Voss.*

p. 130, 1. *plenus uini et Veneris* uerba alius poetae adlata putat Ribbeckius p. 109; cf. proll. p. 77.

p. 131, 5. ‘Furiarum’ scribe.

p. 131, 5. 140, 5. 143, 2 sq. 151, 3. 195, 7. 208, 2. aliorum uerba litteris latioribus distinguere neglexi.

p. 132, 3. lege *Cybeles* cl. Plin. ap. Charis. p. 53.

p. 144. *Γνῶθι σ.* II fortasse totum prosa oratione constat.

p. 154, 2. *equilam* pro ‘eculam’ (i. e. equulam) e Caesaris exemplo, qui *i* in multis pro *u* nouauit, pendere puto. Vnde et Legem Maeniam sero scriptam et Varroni ipsi ‘propter auctoritatem uiri (Caesaris) consuetudinem factam’ (Varro ap. Cassiod. de orth. 1) exemplo memorabili apparet.

p. 174, 2. fortasse legendum *bouam lino oblenisse?* cf. Paulus Festi p. 30 ‘Crurum tumor uiae labore collectus boua uocatur.’

p. 177 not. Nescio quo infelici casu tria huius saturae testimonia e Gellio exscripta omisi. Macrobius Sat. I 7, 12. ‘M. Varronis librum uobis arbitror non ignotum ex saturis

Menippeis, qui inscribitur 'Nescis quid uesper uehat', in quo conuiuarum numerum hac lege definit, ut neque minor quam Gratiarum sit neque quam Musarum numerosior'. Idem ibid. II 8, 2 sq. 'Multi ut aestimo in hoc a Varrone dissentiunt, qui in illa lepidissima satura Menippea, quae inscribitur 'Nescis quid uesper uehat' de secunda mensa placentas remouit . . . Locus Varronis . . . in his fere uerbis est: Bellaria ea maxime sunt mellita quae mellita non sunt; dulcibus enim cum πέψει societas infida'. Sequentia 'Significant autem bellaria . . . . Liberi bellaria' eisdem fere uerbis, quibus Gellius, exhibet Macrobius redactaque in breuius Ioannes Sarisberiensis Policratico VIII 7 ubi dicit 'Vtitur autem hoc nomine M. Varro. Bellaria, inquit, ea maxime mellita sunt, quae mellita non sunt.'

p. 181 l. 13 a fin. lege '*pedester*'.

p. 240, 15 sq. Hunc locum, quem dubitanter Varroni reliqui, sero uidi e Lucili lib. IV fg. 6 Gerl. (ap. Cic. de fin. II 8, 23) petitum esse.

p. 250 fg. XXIV. Num legendum '*prohibent puerum bonum fieri*'?

Scripsi Heidelbergae mense Martio a. mdcccLxv.

PROLEGOMENA

ARGVMENTVM DISPVTATIONIS.

CAPVT I.

De Quintiliani saturarum descriptione . . . . . p. 1. 6
Enni saturae 4
Lucili saturae 5
de Menippo 7
de Menippeis prosa oratione poesique constantibus . . . 13
de Menippearum indole 20
de pseudotragoediis 30
de logistoricis 32
saturarum catalogus 38
de fatis saturarum 49

CAPVT II.

Praefatio de re metrica Varronis 54
quorum scriptorum imitator extiterit 58
poetica 1) propter epitheta ornantia 61
2) propter uocabula poetica 64
3) propter alia a prosae Varronis simplicitate aliena . . . 68
de aliorum uersibus inspersis 74
de utriusque sermonis uariorumque metrorum coniunctione . 77
de singulis metris 80
obseruationes metricae uariae 88

CAPVT I

Saturarum genus quod excoluit M. Terentius Varro Reatinus diuersa a reliquorum in saturis scribendis adhibita ratione constitisse unus tantum disertis uerbis nobis tradidit Quintilianus in institutione oratoria X 1, 93 sqq. haec narrans: '*Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent. ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid, quod tollere possis, putat. nam eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abundantia salis. multum est tersior ac purus magis Horatius et (non labor eius amore) praecipuus. multum et uerae gloriae quamuis uno libro Persius meruit. sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur. alterum illud etiam prius satirae genus sed non sola carminum uarietate mixtum condidit Terentius Varro, uir Romanorum eruditissimus. plurimos hic libros et doctissimos composuit, peritissimus linguae latinae et omnis antiquitatis et rerum graecarum nostrarumque, plus tamen scientiae collaturus quam eloquentiae.*' Quocum conferendus est, qui duo quidem et ipse saturarum genera enumerat, alios uero alterius cultores nominat Diomedes grammaticus, cuius haec sunt uerba p. 485, 30 sqq. Keil. '*Satira dicitur carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum uitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. at olim*[1]) *carmen quod ex uariis poe-*

1) 'et olim' libri; 'sed olim' Reifferscheidius in Suetoni reliquiis p. 20; 'at olim' scholiasta Persii cod. Bern. 665 uerbo tenus fere cum Diomede consentiens.

matibus constabat satira uocabatur, quale scripserunt Pacuuius et Ennius.' Sed hae duae descriptiones, quamuis eodem fere tempore sint factae — Diomedem enim ex Suetonianis potissimum copiis sua hausisse O. Iahnius monstrauit in museo rhenano IX 629 sq. — in Luciliano quidem genere enarrando satis inter se consentiunt; de altera autem parte quae proferunt, ea ad res omnino diuersas spectare inde statim apparet, quod 'carmen — quale scripserunt Pacuuius et Ennius' non esse confundendum cum satura Varroniana, licet Casaubonus de satyrica Graecorum poesi et Romanorum satira p. 199 ita statuat, ipsa Quintiliani uerba clamant, Varronem 'alterum illud genus' condidisse perhibentia. Litterarum enim genus aliquod condere nihil aliud nisi id inuenire primumque excolere potest significare, eodem modo quo singula carmina uersusue qui inuenit scribitque, condere ea dicitur. Nihil igitur ad Quintiliani sententiam (quam ueram esse uidebimus) Varronianae saturae cum Enni Pacuuique carminibus negoti est, triaque omnino saturarum genera extitisse est consectarium, quorum unum modo quod est Lucilianum ab utroque teste, a singulis tantum reliqua duo afferuntur. Itaque omnia iam in utroque loco plana essent, nisi haec uerba intercederent Quintilianea 'alterum illud etiam prius satirae genus.' Quae uerba cum Gesnerus olim interpretaretur 'etiam praestantius' ariolatus est; nam sententia non potest alia dispici nisi haec: priore tempore exortum esse hoc genus quam illud de quo antea dictum sit. Cuius cum primus auctor dicatur Lucilius, qui Varronem aetate multo praecessit, manifestam iam animaduertimus discrepantiam in sententia, qua saturae genus et ipso Lucilio antiquius et a Varrone demum inuentum esse uno tenore dicitur. Quae uerba inter se luctantia explicando conciliare quantumuis strenue ac sollerter aggrediaris, nullo modo contingere potest; nam uitium inest tollendum. Id quod O. Iahnium in scholis suis ita temptasse memini, ut pro 'condidit' reponeret 'condiuit', sed parum apposite ni fallor, cum pulcritudinis elegantiaeque Varronianae laudem id uerbum Quintiliano inculcaret, a qua alienum esse cetera et praecipue

ultima eius uerba ostendunt. Mihi in illis ipsis 'etiam prius' corruptelae sedes esse uidetur, quam certissimo remedio me sanare quamquam affirmare non audeo, aliquam tamen probabilitatis speciem habere puto, ut scribatur 'etiam uerius satirae genus et non sola carminum uarietate mixtum'; alludere enim Quintilianum ad saturae uocis definitionem inter ueteres iam diuulgatam, qua ad saturae lancis legisque similitudinem hoc principale in satura duxerunt, ut diuersa ibi miscerentur uultumque ipsa quam maxime uarium et multiplicem praeberet.[1]) Quod quomodo in Varronis saturis magis etiam atque in reliquis factum sit, mox declarabo. Verum utut de hac coniectura iudicandum est, saltem Fabii uerba qualia leguntur non concinere ostendi et mutatione opus esse; neque quidquam — id quod hac disputatione declarare uolui — apud Quintilianum auxili inuenire potest ea opinatio, qua Ennianam Varronianamque saturam in unam quis confundere uelit.

Porro Quintilianus Varronis genus 'non sola carminum uarietate mixtum' fuisse dicit. Quo in loco explicando mirum quantum uirorum doctorum sententiae discrepant. Quamquam aliter uix potuit euenire, ubi non ex Quintiliani uerbis sed e Varronis reliquiis lucem requisiuerunt, sententiarum apud ipsum scriptorem conexum neglegentes. Via enim ac ratione procedentibus ita exordiendum est, ut cum Fabius hoc tanquam signum notamque Varroniani generis posuerit, non sola esse carminum uarietate mixtum, necessario inde consequi uideant, ut alterum illud a Lucilio aliisque cultum genus, quod iam ante Varronianum descriptum est, sola carminum uarietate fuerit compositum. Quod an et quomodo factum sit ut probe perspiciatur, Luciliana primum satura paucis describenda est; ei tamen ipsi non rei necessitate constrictus sed quadam licentia expatians, cum Diomedem iam de ea disserentem induxerim, de Enniana quoque satura paucula quae scimus praemittam.

1) Eandem sententiam consecutus est Spaldingius ad h. l. coniciendo 'proprium', sed id et ipsum a litteris minus commendatur, et uoci 'etiam' locum nullum relinquit.

In Enni igitur saturarum libris, quos numero minime sex fuisse ex Donato in Terenti Phormionem (II 2, 25) docemur, metrorum extitisse uarietatem primo obtutu animaduertimus. Ita e libro secundo fragmentum hexametris descriptum alterumque quadrato uersu factum illud Seruius hoc Nonius seruarunt; itidem tertii libri fragmenta senariis conscripta duo, hexametris unum Nonius praebet. Scipio quoque Enniānus, quippe cuius fragmenta extent trochaica duo, hexameter unus, inter saturas recte a Vahleno in prolegg. ad Enn. poes. rell. p. LXXXIV sqq. refertur; quem cum '*librum qui Scipio inscribitur*' Gellius IV 7 dicat, totum aliquem in saturis librum obtinuisse apparet, qui poematis uarii et generis et metri, sed quae ad Scipionem Africanum pertinerent omnia, constitit. Nec tamen cum Vahleno tertium saturarum librum dico Scipionem fuisse, cuius sententiae et obstare uidetur uersus '*Nam is nón bene uult tibí, qui falso críminat*' nimis ille humilis pro grandi et elata Scipionis dictione. et fulcrum quo nititur omne iam abstulit Ribbeckius in mus. philol. X 287, qui totum fragmentum X Vahl. e Scipione ad Annales transferendum docuit, unde unum poeta uersum in saturarum librum tertium demo acceperit. Nimirum uersus quos ut notissimos Cicero protulit, non potuit sumere e saturis, quae iamdiu ex hominum memoria euanuerant neque nisi e grammaticorum studiis nobis notae sunt. Quem autem alium saturarum librum Scipio obtinuerit, id iam non possumus indagare.

Hoc igitur uidimus, uaria singulis libris infuisse metra eumque satirae illae non longissimae fuisse putandae sint (uelut illa quadratis uersibus scripta cuius argumentum Gellius II 29 narrat), aliter si quid uideo fieri non potuit nisi ut saturis singulis — siue ut cum Diomede loquar poematibus singulis, quibus satura (i. e. liber saturarum) constabat — singula metra responderent, id quod Vahlenus quoque p. LXXXII probat. Praeter hanc quam dixi uersuum inter singulas saturas uarietatem argumentis quoque non minus multiplicibus continebantur, de quibus accuratius disserere cum reliquiarum inopia uetet, id unum ex

fragmentis affirmare licet, serium iocosumque uel potius elatum humilemque sermonem suas quemque saturas obtinuisse.

Iam ad Lucili triginta saturarum libros si accedimus, ut quae is nouarit in eo genere cognoscamus, primum uidemus eum Enniana metrorum uarietate plerumque spreta hexametrum uersum sibi proprium adsciuisse, quo quidem unico in omnibus usque ad uigesimum tertium libris[1]) et in tricesimo usus est; ita ut quamquam in octo reliquis — nec fortasse eis omnibus — alia quoque metra adhibuit, tamen summam rem si spectas inter dactylicos poetas Lucilius ponendus sit et in re metrica Horatio posterioribusque exemplum fuerit quod sequerentur. Argumentorum autem uarietatem Ennio profecto non minorem amplexus est. In eius enim saturis fere dicam de omnibus rebus agebatur nunc serie nunc iocose, docte et indocte, narrando uel sermocinando, neque ulla res qua hominum mentes occupari possunt aberat. Non enim ut Gerlachius in praef. ad Lucilium ariolatur p. 114 'reiecta Ennii eruditione' saturas scripsit, sed locupletior testis Quintilianus '*eruditionem*' ut uidimus '*in eo miram et libertatem atque inde acerbitatem et abundantiam salis*' praedicat. Haec ultima autem ni fallor ab Ennio eum distinguebant, in quo nos quidem ludibria et irrisionem desideramus; haec etiam posterioribus cum adprime legendum et imitandum scriptorem reddebant Ennianosque labores tantopere obscurabant, ut uel inuentorem saturae, nempe ubi de salibus ei carmini propriis praecipue agitur, Lucilium Horatius dixerit sermonum I 10, 48.[2]) Quam Lucili et uirtutem et gloriam

1) Haec duo fragmenta l. XX 8 Gerl. et XXII 1, cum sola senariis conscripta sint, ad posteriores fortasse libros numerorum emendatione reicienda sunt.

2) Ennii saturas Horatius fortasse ne nouerat quidem; certe mentionem earum nullam facit. Nam '*rudis et Graecis intacti carminis auctor*' (ibid. u. 66) nullo modo Ennius dicitur, sed quod unice uerum Crainius (philol. IX p. 575 sqq.) et Ribbeckius (ann. philol. 1858 p. 213) monstrarunt is qui uersibus saturniis carmen composuit; aptissime ni fallor de Liuio Andronico cogitabitur.

ad ueram originem Bernhardyus refert hisce uerbis in Rom. litt. hist. p. 597 ed. IV: '— sobald sie (i. e. satura) einen dichterischen Werth und Standpunkt von der starken Individualität eines Dichters empfing, und in solchem Sinne darf Lucilius ihr Erfinder, richtiger ihr geistiger Schöpfer heissen.' Reliqua eiusdem uerba non aeque rei apta non curo; nullo enim modo artioribus quam antea finibus saturam a Lucilio circumscriptam fuisse, ut in irridendo omnis uersaretur, uel una illa satura noni libri monstrat, qua orthographiam quam doctissime exposuit. Ex eodem libro nono perspicuum fit pluribus saturis libros singulos constitisse, cum magnus reliquiarum quae ibi sunt numerus cum orthographicis illis praeceptis uno carmine non potuerit contineri. Neque obstat quod librum sextum decimum qui 'Collyra' inscriptus erat, in amicae laudibus uersatum esse oportet (cf. Porphyrio in Hor. carm. I 22, 10); uariis enim carminibus uario modo ei rei studere potuit neque absone Scipio Ennianus in comparationem uocabitur. Quod autem in primo libro (cf. Lactantii instt. diu. IV 3, 12) deorum consilium et in tertio (cf. Porphyrio ad Hor. serm. I 5 init.) iter Italicum descripsit et 'Fornex' quoque titulus ex eo memoratur (cf. Arnobius II 6), nulla extat causa ut ea omnia non ad singularum saturarum sed ad librorum totorum argumenta referamus.

Ad Varronem cum iam sim progressurus, hanc quasi summam rerum adhuc tractatarum in memoriam reuocandam censeo: Ennium et Lucilium eis tantum inter se rationibus differre quod alter uarietate metrorum, alter maxime hexametris usus est, deinde quod Ennius ut uidetur nusquam, Lucilius saepissime ludibria saturis immiscuit. Haec autem promiscua eis fuisse, ut argumenta quam maxime uaria uariis modis tractarent, ut singuli libri pluribus constarent saturis, ut omnia denique uersibus essent composita.

Primum tamen eo reuertamur, unde defleximus, ut, ne quid praeiudicii ex Quintiliani uerbis '*alterum illud genus — non sola carminum uarietate mixtum*' male acceptis mentibus haerere possit, ea recte explicemus. Ex quibus ut dixi apud Quintilianum manifestum fit fieretque apud quemuis

scriptorem mentis compotem, illud genus, cui hoc alterum opponit, sola carminum uarietate esse mixtum. Ea uero non potest metrorum significare uarietatem, cum Lucilius plerumque, Horatius autem et Persius in satiris ubique usi sint hexametris; econtra uarietas quam illi adhibebant in serio iocosoque sermone uicissim ponendo et omnino in argumentorum diuersitate constabat. Hanc igitur cum Varroniano quoque generi Fabius adsignet, aliam etiam inibi uarietatem fuisse perhibet, quam magno nostro detrimento non apertis verbis significat sed obscurius tantum tangit. Possit quis ita supplere 'non sola carminum i. e. argumentorum in carminibus tractatorum, sed etiam metrorum uarietate mixtum', alius autem haec coniectauerit 'sed etiam (uariorum) metrorum cum prosario sermone coniunctorum uarietate mixtum', et neuter e Quintiliani uerbis poterit refutari.[1]) Quare ego hoc iam loco praemonere, nos ex Fabii uerbis in illa grauissima quaestione nil praesidi habituros esse, tutius duxi. Nam et illud iam monstraui, Varronem non cum Ennio hic tacite componi, quod ex corruptis illis 'etiam prius' concludi possit; agi enim de genere illo quod ipse Varro primus inuenerit condideritque.

In describendis Varronis saturis initium sumendum est a loco Gellii II 18, 6 sq., quem Macrobius Saturn. I 11, 42 eisdem uerbis exscripsit: '*Alii quoque non pauci serui fuerunt qui post philosophi clari extiterunt. ex quibus ille Menippus fuit, cuius libros M. Varro in satiris aemulatus est, quas alii cynicas, ipse appellat Menippeas.*' Paulo aliter idem Gellius XIII 31, 1 dicit: '— *saturarum M. Varronis — quas partim cynicas alii Menippeas appellant.*' Menippeae appellationis rationi apertis uerbis declarandae Valerius Probus qui dicitur, Vergili commentator, operam nauauit qui ad Verg. ecl. VI 31 p. 14, 19 Keil. haec profert:

1) Futilia autem Roeperus philol. XVIII 430 protulit, qui talia Quintilianum putat sensisse: non sola carminum i. e. metrorum uarietate mixtum, sed etiam serii iocosique sermonis coniunctione. An forte ab Horatiano genere haec coniunctio aberat, ut ea tamquam propria Varroni tribueretur?

'*Varro qui sit (est* Roeperus. *et?) Menippeus non a magistro cuius aetas longe praecesserat, nominatus (nominatur?), sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satiras suas expoliuerat.*' Et sane ipse Varro non raro Menippeus dicitur, cf. Charisius p. 118. Diomedes p. 371. Symmachus auct. epp. 2. Arnobius VI 23. Eutychius p. 2169 P. 175 L. Athenaeus IV p. 160 c. Quam autem huius nominis causam Probus affert, ea parum uidetur consentire cum Gellii sententia, qui inter cynicarum et Menippearum appellationem affinitatem quandam sine dubio intercedere uoluit. Cynicorum enim omnino fuisse ut carmine omnigeno scripta sua expolirent, id nemo adhuc affirmauit. Quare ut possimus diiudicare, Gellione sit an Probo fides habenda, siue utrum a cynica quadam saturarum indole (quam Tertullianus quoque ad nationes I 10 et apologetico cap. 14 inuit, 'Romani stili Diogenem' et 'Romanum cynicum' Varronem uocans) an ab omnigeno carmine an forte ab his duabus rebus quocunque modo inter se consociatis Menippei agnomen acceperit, de Menippo prius quae scimus suo ordine proferenda sunt.

Menippum patria Gadarensem, cuius uitam nimis stolide conscribillauit Diogenes Laertius (VI 99 sqq.), floruisse circiter olympiadem centesimam sexagesimam Oehlerus (prolegg. ad Varronis satt. p. 42 sqq.) probabiliter demonstrauit, uiginti fere annis antequam Varro natus est. Paulo igitur nimius est Probus, 'longe' eum aetate Varronem praecessisse ubi perhibet. Cynicorum sectae addictus erat scripsitque similia atque alii quidam eius philosophiae asseclae, talia dico quibus seria iocosaque lepide permiscebantur, uel potius quibus 'ridendo dicere uerum' ut ait Horatius seriaque iocose exprimere conabantur. Ita Monimus cynicus *παίγνια* scripsit *σπουδῇ λεληθυίᾳ μεμιγμένα* (Diog. Laert. VI 83), ad quorum exemplum Menippum libros suos instituisse Prellerus opinatus est (ann. litt. Ienens. 1847 p. 621); ita Meleager Menippi et popularis et imitator (cf. Strabo XVI 2, 29 et Anth. gr. epigr. *ἀδεσπ.* 572. Meleagri epigr. 127) scripsisse uidetur, cuius reliquiae quidem pauculae (nam epigrammata huc non pertinent)

cum meram festiuam omnes gratiam spirent, seria tamen eum immiscuisse ex eius epitheto ὁ *κυνικός* (cf. Athenaeus XI p. 502c) probabile est; ita denique Bion Borysthenites *ὑπομνήματα* sua (Diog. L. IV 47) composuit, quem primum uel Eratosthenes (Diog. L. IV 52. Strabo I 2, 2) uel Theophrastus[1]) (cf. Metrodor. qui dicitur *περὶ αἰσθήσεων* in uoll. Herculann. VI col. XV) philosophiam ueste florida induisse dixit.[2]) Eodem modo Menippi libri conscripti erant, quos ne ex Diogenis uerbis ‘*Φέρει μὲν οὖν σπουδαῖον οὐδέν. τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει κατ᾽ ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ᾽ αὐτὸν γενομένου*’ prorsus iocis constitisse sumas, primum prohibet quod inter philosophorum seriem Diogenes eum recepit quodque *σπουδογέλοιον* vocat Strabo (XVI 2, 29), tum uero uiri imago qualem ex Luciano strenuo eius sectatore qui saepissime in dialogis eum introducit nobis depingere possumus. Qui quamquam eum sic describit (dial. mort. I, 2): ‘*γέρων φαλακρὸς, τριβώνιον ἔχων πολύθυρον, ἅπαντι ἀνέμῳ ἀναπεπταμένον καὶ ταῖς ἐπιπτυχαῖς τῶν ῥακίων ποικίλον· γελᾷ δ᾽ ἀεὶ καὶ τὰ πολλὰ τοὺς ἀλαζόνας τούτους φιλοσόφους ἐπισκώπτει*’ aliis tamen locis serio ac fere austere eum sapientiam suam edocentem facit (cf. necyomantia 14 sqq. dial. mort. XX). Et haec sane satis simplex erat: summum enim sapientis bonum *τὴν ἀπαθείαν* ducebat, ut ‘*τὸ παρὸν εὖ θέμενος*’ nil cuperet nil metueret modiceque et quiete omnibus in rebus et conquirendis et fruendis se haberet; etiam in philosophando ultra certos statosque terminos ne egrederetur subtilesque disputationes philosophorum ut uen-

1) Eratosthenis esse hoc facete dictum non Strabo tantum, qui ipsius uerba ante oculos habuit, multo probabilius reddit, sed res ipsa unice uerum ostendit esse, cum Theophrastum, cuius ipse Bion erat discipulus, imitatores etiam Bionis, qui primus philosophiam adornauit, notos habuisse temporis ratio prohibeat. Iam apparet, quo iure Neapolitani editores Metrodoro Epicuri amico, Theophrasti aequali hunc librum tribuere sine ulla causa conati sunt.

2) Bionem Diogenes quidem inter academicos enumerat; sed ipse dicit (IV 51): ‘*οὗτος τὴν ἀρχὴν μὲν παρῃτεῖτο τὰ Ἀκαδημαϊκὰ — — εἶτ᾽ ἐπανείλετο τὴν Κυνικὴν ἀγωγήν, λαβὼν τρίβωνα καὶ πήραν.*’

tum et fumum haberet. Vnum tantum afferre libet locum ex *Νεκυομαντείας* c. 21 ubi hanc se a Tiresia accepisse sententiam narrat: '*ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἄριστος βίος καὶ σωφρονέστερος· ὡς τῆς ἀφροσύνης παυσάμενος τοῦ μετεωρολογεῖν καὶ τέλη καὶ ἀρχὰς ἐπισκοπεῖν καὶ καταπτύσας τῶν σοφῶν τούτων συλλογισμῶν καὶ τὰ τοιαῦτα λῆρον ἡγησάμενος τοῦτο μόνον ἐξ ἅπαντος θηράσῃ, ὅπως, τὸ παρὸν εὖ θέμενος, παραδράμῃς γελῶν τὰ πολλὰ καὶ περὶ μηδὲν ἐσπουδακώς.*' In his autem ne diutius immorer, inscriptiones statim librorum eius quotquot seruatae sunt recensebo. Ex tredecim igitur quos scripsit libris (Diog. L. VI 101) hi sunt quos nouimus: *Νεκυῖα. Διαθῆκαι. Ἀρκεσίλαος. Συμπόσιον. Ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου. Πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου* (fortasse *καὶ δόξας Ἐπικούρου*, ut impugnet librum quem ille *Κυρίαι δόξαι* inscripserat cf. Diog. L. X 27) *καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας.* Fortasse etiam *Διογένους πρᾶσις* (Diog. L. VI 29 ubi codices nonnulli Hermippum pro Menippo praebent).[1]) Fragmenta autem seruata sunt perpauca

1) Meinekius in Vindiciis Strabonianis p. 234 sq. Suidae Eudociaeque uerba '*Μένιππος· κωμικός· τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Κέρκωπες* (*καὶ Ὄφεις* addit Eudocia) *καὶ ἄλλα*' ad cynicum nostrum referenda, in Comicis autem Graecis uol. V p. 12 '*Μένιππος ὁ κυνικός*' emendandum putat. Causam uero qua haec sententia commendetur cum nullam uideam, aperte etiam refutatur non quidem praecedente lemmate '*Μένιππος ὁ κυνικός· ἔστιν ἐν τῷ Φαιός*' quippe quod uel falso inculcatum esse uel ad Suidae imperitiam duo homines ex uno efficientem referri possit, sed (licet Meinekius 'in eo non esse quod quis haereat' affirmet) ea re quod *δράματα* illius opera nuncupantur, quam profecto appellationem ipse Suidas non potuit fingere. Quam autem idem Meinekius poetae ignoti comoediam *Δίες* inscriptam ex Aelio Dionysio apud Eustathium ad Hom. p. 1384, 46 Menippo tribuit, eam ne comico quidem Menippo ut donemus quicquam suadet, ut de cynico uel leuissima suspitio funditus tollenda sit. Sed cuiuscunque erat, Varroni tamen Graecis illi literis profundissime imbuto, cum trecentos Ioues ('siue Iuppiteres dicendum' ut Tertullianus irridendi causa addit ad nationes I 10. apolog. 14) sine capitibus induceret, hanc *Διῶν* comoediam ob mentem fuisse, ut argumentis destituta, ita per se et speciosissima et ualde probabilis uiri doctissimi opinio est.

adeoque ex quinque illis quae collegit Oehlerus (p. 29 sq.) unum demendum est, cum Suidae uerba s. u. *Φαιός*: '*Μένιππος ὁ κυνικὸς ἐπὶ τοσοῦτον τερατείας ἤλασεν, ὡς Ἐρινύος ἀναλαβεῖν σχῆμα, λέγων ἐπίσκοπος ἀφῖχθαι τῶν ἁμαρτανομένων ἐξ ᾅδου*' sqq. a Diogene VI 102 ad Menedemum cynicum, non ad Menippum referri iam dudum Leopardus emendationum XVII 3 adnotauerit. Ipsa fragmenta in calce huius libri adicientur.

Iam uero ut Probo satisfaciamus, an carminibus interspersis Menippus libros suos uariauerit quaerendum est. Quod cum antea ab omnibus negaretur[1]), primus Probo fidem habuit Prellerus (l. c. p. 622), quem secutus est Wachsmuthius de Timone Phliasio p. 42 sq. qui apud Athenaeum I p. 32e '*ὁ γοῦν κυνικὸς Μένιππος ἁλμοπότιν τὴν Μύνδον φησίν*' uerba e poeticis partibus esse seruata coniectura perquam probabili censet. Neque est cur Probo fides derogetur, qui pessima quidem elocutione uera tamen ceteroquin hoc loco refert. Quamquam illud argumentum, quod Wachsmuthius p. 43 e uersibus petit Homericis et Euripideis, quibus Menippus Lucianeus in necyomantiae initio utitur, nil poterit efficere nisi aliorum uersus Menippum uel simpliciter usurpasse uel sillographorum modo in ridiculum detorsisse; propria eius carmina inde erui nequeunt. At locupletissimum testimonium Dialogi Lucianei uerba praebent, a Luciano dum Menippum imitetur se male tractatum esse his uerbis in Bis accusato cap. 33 querentis: '— *τὸ γὰρ πάντων ἀτοπώτατον, κρᾶσίν τινα παράδοξον κέκραμαι καὶ οὔτε πεζός εἰμι οὔτε ἐπὶ τῶν μέτρων βέβηκα, ἀλλὰ ἱπποκενταύρου δίκην σύνθετόν τι καὶ ξένον φάσμα τοῖς ἀκούουσι δοκῶ.*' Quo loco *πεζός* non ad humilem uulgaremque dicendi usum, sed ad sermonem utique prosarium pertinere ea quae opponuntur '*οὔτε ἐπὶ τῶν*

1) Errat enim F. Ley de uita scriptisque Menippi cynici p. 8, Casaubonum quoque carmina sermoni ab illo immixta affirmare dicens. Nempe aperte Casaubonus declarat p. 207 'meras parodias ex alienis uersibus Menippum contexuisse', non autem ipsum quoque poesi omnigenae operam impendisse.

μέτρων βέβηκα' dilucide ostendunt; ne uero in illis 'οὔτε πεζός εἰμι οὔτε ἐπὶ τῶν μέτρων βέβηκα' talem quis utriusque sermonis in unum genus confusionem inesse suspicetur, qualis est in illa πεζῇ ποιητικῇ, quo nomine Lucianus quom. hist. conscr. s. cap. 8 rerum gestarum historiam prosarie quidem conscriptam sed uerbis poetice sonantibus abutentem designat, id ea re prohibetur quod nimis elatum poeticique ardoris plenum sermonem Menippo illi, cuius scripta 'καταγέλωτος γέμει' nequaquam possumus concedere. Cum igitur neque pedestrem sermonem poeticis uerbis indutum atque minus etiam continua carmina indolis nimis prosariae ea uerba significare possint, quid iam relictum est, nisi ut utroque sermone uero et genuino eius libellos fuisse compositos e Luciani uerbis nobis sumamus? Quae quidem carmina cum apud Lucianum ipsum nec permulta nec permagna inueniantur, apud Menippum quoque quem ille imitatur rem aliter institutam fuisse nil est quod suadeat. Ante Menippum iam extitisse qui utrumque sermonem coniunxerint, non habemus compertum; Bion certe Borysthenites quem 'τὴν φιλοσοφίαν ἀνθινὰ ἐνδῦσαι' Eratosthenes dixit (u. supra), alia ratione hoc negotio defunctus est. Huius etenim de uersibus quae memorantur apud schol. Cruq. ad Hor. epp. II 2, 58 nonnisi ad parodias referenda uidentur, praesertim cum 'εὐφυὴς ἦν καὶ παῤῥῳδῆσαι' (Diog. L. IV 52); et si quidem Acroni ad Hor. l. c. ('*Bion qui sophistes cognominatus est, in libro quem edidit mordacissimis salibus ea quae apud poetas sunt ita lacerauit, ut ne Homero quidem parceret*') fides habenda est, ad unum aliquem parodiarum librum; cf. Welckerus praef. Theogn. p. LXXXVII. Wachsmuthius l. c. p. 40 sq. Nam quod Prellerus e Diogenis uerbis IV 52: 'Ἦν δὲ καὶ θεατρικὸς καὶ πολὺς ἐν τῷ γελοίῳ διαφορῆσαι, φορτικοῖς ὀνόμασι κατὰ τῶν πραγμάτων χρώμενος. Διὰ δὴ οὖν τὸ παντὶ εἴδει λόγου κεκρᾶσθαι φασὶ λέγειν ἐπ' αὐτοῦ τὸν Ἐρατοσθένην, ὡς πρῶτος Βίων τὴν φιλοσοφίαν ἀνθινὰ ἐνέδυσεν. εὐφυὴς γὰρ ἦν καὶ παῤῥῳδῆσαι' concludit, inter uaria haec genera de prosa quoque et poesi alternantibus cogitandum esse, non satis ipsa uerba respicit, quae genus

tumidum et sufflatum (*τὸ θεατρικόν*) cum ridiculo et scurrili (*τὸ γελοῖον*) mixtum hisque additas parodias efficere illud '*πᾶν εἶδος λόγου*' monstrant.[1]) Obiter moneo in anonymi *περὶ αἰσθήσεων* libri supra allati (cf. uolumina Herculanensia VI col. XV) hac sententia: '(*κ*)*αὶ ο*(*ὐδὲ*)*ν πιθανὸν* (*ἔ*)*νεστιν* (*τοῖ*)*ς* [(*ῶ*)*ς* Wachsmuthius] *αν* [?] *Βίωνος τοῦ κατὰ Θ*(*ε*)*όφραστον π..του φιλοσοφίαν ἀνθινοῖς κοσμήσαντος, ἀσ*(*υ*)*νθέ*(*των μ*)*ετακ*(*ο*)*λούθου διὰ* (*τ*)*ὴν τῆς φύσεως τῶν ὄντων ἀγνωσίαν*' uocem illam mutilam *π..του* a Scotto suppletam esse *ποητοῦ*. Sed caue inde de Bione poeta opinionem tibi fingas; Wachsmuthium enim p. 40 *πρώτου* recte emendasse Diogenis Strabonisque in hoc dicto narrando consensus docet. Meleagrum denique Gadarensem, quem indole Menippo simili fuisse Diogenes scribit, eodem quo illum scribendi genere usum esse facile conici, probari autem ne difficile quidem poterit.

Ad finem perduxi disputationem de Menippo, qua Probum, etsi satirarum appellationem in illius libros inepte confert,[2]) rem tamen ipsam recte narrare ostendi, illum quoque 'satiras suas omnigeno carmine expoliuisse.' Cuius rationis exempla in Graecis litteris hodie quae extant, Luciani sunt opuscula, uelut Iuppiter tragoedus, Conuiuium, Alexander, alia; deinde Iuliani satira quam inscripsit Caesares. In his propria carmina posuere; aliorum autem uersus multo saepius immiscuere. Lucianum autem cum propter hanc causam, tum propter alias permultum ad Varronis quoque saturas cognoscendas facere, infra exponam.

Ad illam iam quaestionem quam supra proposui reuoluti sumus, ut iudicemus Gellione an Probo fides maior habenda Menippearumque cognomen ab indole saturarum cynica an ab omnigeno carmine deriuandum sit. Atque indolem quidem illam eis fuisse cum non opus sit prolixa

1) Neque aliud est quod Theodorum *τὸν ἄθεον* '*κατὰ πᾶν εἶδος λόγου σοφιστεῦσαι*' Diogenes ibid. refert.

2) In eo apud talem scriptorem non magis offendendum est, quam in uerbis illis monstruose constructis '*Menippeus dictus non a magistro cuius aetas longe praecesserat*'; illa enim omnia ex bono et uetusto grammatico, sed nimis turbulenter excerpta esse apparet.

disputatione ostendere, uerbo hic significasse sufficiat; iam uero cum uersibus Menippum quoque usum esse exposuerim, respondere licet, utrumque fide digna narrare neque eos interse uere dissentire, sed pro consilio suo utrumque quod ei non necessarium uisum est omisisse; id quod in Probi uerbis, ut qui rem grauiorem omiserit, leuiorem tantum commemorarit, non ipsi grammatico sed excerptoris neglegentiae culpae dandum censeo. Quum uero nuper extiterit qui Probum de Menippo quidem dicat falsa narrare, de Varrone autem uera, sed longe aliter atque fieri solet intellegendum esse, ita nempe ut sola carminum uarietate Varronem satiras suas contexuisse prosamque omnino ab illis alienam esse tradat, haec iam quaestio grauissima — non autem ut spero difficillima — soluenda erit. Versus enim Varronis saturis inesse etiam si quis ipsis reliquiis diffideret a Gellio tamen edoceretur (VI 16) senarios earum uersus commemorante; adde Nonium p. 503, 13; 22. At non perinde de prosa quoque certo testimonio, nisi sit locus e Probo allatus, constat. Itaque Theophilus Roeperus cum per aestiua otia saturarum reliquias perlegisset atque nullis quidem certis usus argumentis sed sensu quodam ductus fragmentis omnibus uersuum impressa esse uestigia sibi uisus esset animaduertere, statim 'poetandi quadam dulcedine' adductus, ut ipse ingenue fatetur, uersus suos per singulas reliquias Varroni restituere aggressus est (philol. IX 223 sqq.) instititque ei negotio in multis atque copiosis uerbosisque hercle disputationibus, quae philologi uoll. IX. XV. XVII. XVIII atque programmatis Gedanensibus et saecularia indicenti a. 1858 edito et annalibus a. 1858. 1861. 1862 in publicum emissis continentur. Quam sententiam quamuis ipse argumento usus non nimis solido, aurium dico iudicio, conceperit, mox tamen et Vahleno et Ribbeckio, quorum ille in coniectaneis in Varronis saturas Menippeas a. 1858 editis, hic in mus. philol. XIV p. 102 sqq. eodem usi sunt fundamento sed in discernendis pedestribus a poeticis fragmentis, quam incertis fulcris innitantur ipse saepius obiecit (cf. praecipue philol. XVII 69 sqq.). Postea uero a Buechelero (mus. philol. XIV 419) trium Probi

Quintiliani Ciceronis locorum admonitus qui utriusque sermonis confusionem Varroni attribuant, hos locos aliter explicare in philol. XVIII 420 sqq. suscepit. Quos ueterum locos, si modo in hanc quaestionem uere quadrent, cum certissima disputandi fundamenta praebere necesse sit, de eis ut rem ad liquidum perducamus initium nobis sumendum est.

Primus igitur Cicero postquam in Academicorum initio Varronem de suis operibus disserentem induxit, laudibus eum efferens haec respondet (I 3, 9): '*Nos in nostra urbe peregrinantes errantesque tamquam hospites tui libri quasi domum deduxerunt . . . Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum . . . aperuisti, plurimumque poetis nostris omninoque latinis et literis luminis attulisti et uerbis, atque ipse uarium et elegans omni fere numero poema fecisti, philosophiamque multis locis incohasti, ad impellendum satis, ad edocendum parum.*' Ex eo loco si caute explicatur nil omnino quod ad quaestionem nostram pertineat erui potest, ut nec Buechelero duarum orationum coniunctionem nec Roepero mera carmina a Cicerone in saturis indicata affirmantibus credendum sit. Etsi enim de saturis, quae omni fere numero composita carmina continebant, Ciceronem reuera loqui concedendum sit (nam contra opinionem a Ritschelio in mus. philol. VI 494 sq. prolatam, carmen hic indicari didascalicum quo de rerum fortasse natura Varro egerit, graues sane dubitationes Roeperus l. c. mouit[1])), tamen unde quis solas saturas Menippeas neque alia illa praeterea quae uersibus Varro composuit Ciceroni in mentem uenisse iure concludere possit, equidem nescio. Scripsit enim Varro, ut ex Hieronymi catalogo eius librorum nouimus (cf. Ritschelius mus. philol. XII 147 sqq.), praeter 'satyrarum menipparum (menypparum cod. Atrebat.)' libros CL etiam poematum

1) Etenim si de tali carmine cogitandum esset, iungi oporteret illa 'omni fere numero' uoci 'elegans' et explicari 'omni fere ratione'; offensionem uero qualis inesset uerbo 'fere' ut ne leuissimam quidem Varroni adderet Ciceronem anxie curasse ex epistulis ad Atticum satis superque docemur.

(i. e. carminum breuium cf. Varro apud Nonium 428, 19)[1]) libros X et pseudotragoediarum (sic codd. Pariss.) uel tragoediarum (cod. Atrebat.) libros VI, ut aliud illud carmen taceam quod Quintilianum significare nonnulli suspicati sunt, cum nominet (I 4, 4) '*Empedoclem in Graecis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui praecepta sapientiae uersibus tradiderunt*', quocum conferendus est Lactantius instt. diu. II 13 '*Empedocles — — de rerum natura uersibus scripsit, ut apud Romanos Lucretius et Varro*'; nimis enim proclive est credere, Quintilianum, quem Lactantius exscripsit, tale aliquod de sapientia poema ex Ciceronis uerbis obiter perlectis pro saturis, quales reuera erant, sibi finxisse, cum saturas ipsas eum numquam curiosius inspexisse uel occultum illud et tectum dicendi genus quo de eis loquitur (cf. p. 7) ualde uerisimile reddat; cf. Krahnerus de Varr. philos. p. 10 sq. Atacinum quoque Varronem, de quo nonnulli cogitarunt, non puto Quintiliano ob mentem fuisse, cum praecepta sapientiae alio ille loco tradere non potuerit, nisi fortasse quibusdam locis prooemii Chorographiae; Quintilianus autem carmina adferat quae tota in philosophia uersentur. Sed ad nostri Varronis poetica opera redeamus.[2]) Omnia in illis Tullius quae Varro uersibus conscripserat laudat; uarii ea generis esse dicit et elegantia et omni fere numero composita; sin quae forte in illis erant

1) Ex eis unum apud Diomedem fragmentum seruatum est; quod enim ille p. 400, 29 K. Varronem affert '*in poetico libro: et tamen non demólio rostra*' id nunc postquam de poematis Varronis comperimus neque cum Mercero ad 'Prometheum liberatum' neque cum Oehlero ad 'Prometheum liberum' referre opus est. Videtur autem metro satis artificioso contineri. creticis et trochaeis siue spondeis inuicem sese excipientibus.

2) Omnino nil curo Varronis 'satyrarum libros IIII' quos praeter Menippeas catalogus ille enumerat, cum indoles ac ratio earum incertissima sit et ne hoc quidem constet, rectene an casu a CL libris saturarum in catalogo separatae sint. Satis tamen placet quod Ritschelius mus. philol. VI 492 proposuit, eas ad alterum genus pertinuisse, quod Lucilius occupauerat. Fuerit igitur Varro in numero 'quorundam aliorum' qui praeter Atacinum hoc genus ante Horatium temptarunt; cf. Hor. serm. I 10, 47.

quae praeter uersus prosam quoque orationem continebant, non tamen tanti id momenti Ciceroni tunc erat, ut disertis uerbis adnotaret; in poesis autem potissimum Varronianae laudationem eum incidisse non temere quis e praecedentibus uerbis ducendum putabit: '*plurimumque poetis nostris — luminis attulisti*', post quae ipsius carminum laudatio ('*atque ipse — poema fecisti*') optime collocata est. Quare cum non quidem cum Buechelero l. c. certum firmumque mixtae saturarum indolis argumentum in his uerbis reperire liceat, tamen etiam Roeperum, qui l. c. p. 438 totas uersibus constitisse hoc loco existimat indicari, proprietatem conexumque sententiae non satis curasse censebimus. — Alterum e Quintiliano locum saepius iam a me adlatum haud maiore ui quam Ciceronis uerba uel ad hanc uel ad illam partem nos trahere p. 6 sq. iam ostendi. Superest denique Probus, qui l. c. (p. 14 Keil.) Menippum Varronemque 'omnigeno carmine satiras suas expoliuisse' tradidit. Atque Graecum quidem iam uidimus poeticum sermonem immiscuisse, ut Probum tamquam inscium ueri a Roepero l. c. p. 420 sqq. reprehendi non fuerit necessarium.[1]) Etenim ille enarrationem huius loci unice ueram hanc putat, carmine satiras expolire idem esse atque carminibus pulcris et expolitis constantes satiras scribere; quae si uera esset, profecto Probus perperam de Menippo scripsisset. Cum uero semper — more scholastico aliquando liceat loqui — is qui expolit aliquid aliqua re, rem aliquam iam extantem alia re adhibita pulcriorem et nitidiorem quam antea fuit reddat, nimis hercle is linguae latinae indolem torquet, qui cum dicit rem expolire, qui rem nondum adhuc extantem nunc demum producit et efficit. Probus igitur, id pro certo tenendum est, Varronem saturas pedestres carminibus exornasse siue expoliuisse tradit; hic est unus quidem, sed firmus stabilisque ex antiquitate testis uerae Menippearum indolis.

1) Mirabile autem est, Roeperum cum poeticam Menippearum Varronis indolem tanto studio defendat, Menippo ipsi solam nihilominus prosam uindicare l. c. p. 421.

Alterum accedit argumentum e Menippi imitatione petitum, qui cum scribendi rationem σπουδογελοίῳ generi admodum idoneam iam inuenisset, haudquaquam credibile est a Varrone Menippeo temere eam esse reiectam. Tertium uero idque grauissimum ipsius Varronis loci nonnulli praebent, quorum qui minime est certus, cum primum proferam. Bimarci igitur saturae fragmentum apud Nonium p. 168, 13 ita legitur: '*Mihique diuidum stilo nostro papirinoleuiiscapos capitio nouo partu poeticon.*' Quod facillime et ut sententia commoda euadat sic restituitur: '*Mihi* (uel potius *Inibi*) *quom dudum stilo . . .* (?) *papyri inleui scapos, concipio nouom partum* ποιητικόν.' Eam autem sententiam canendi carminis nuntiam ipsam uersibus esse expressam non est magis probabile quam Deuictorum loco apud Nonium p. 500, 9 seruato: '*Libet me epigrammatia facere, et quoniam nomina non memini, quod in solum mihi uenerit, ponam*' numeros inculcare. Cuius cum eadem quae illius sit sententia suadeatque ea hic quoque pedestrem sermonem, humilis ac paene uulgaris dictionis color magis etiam ei opinioni adiumento est. Attamen pertinax aduersarius metro alicui, quod sequantur demum distichorum uersus, haec forte possit inserere; omnis autem dubitatio alio Bimarci fragmento tollitur quod Nonius p. 229, 22 ita tradidit: '*Ne me pedatus uersuum tardor neprenet tarte cum pritymon certum*', ubi '*refrenet arte*' palmari olim emendatione raraque felicitate Popma correxit. Ceterum utrum choliambos, quos uerba sponte offerunt, ita scribas cum Vahleno p. 139:

Ne mé pedatus uérsuum . .́ tárdor
Refrénet arte cómpari rhythmón cértum

quae ita suppleri uult: 'uarie et uersibus et sermone miscere orationem placet', an displicente arte compari quae sit ars pares uersus efficiens sic mecum ponas:

Ne mé pedatus uérsuum . .́ tárdor
Refrénet arte, cómprimo rhythmón sértum,

an aliam praeter illas lectionem excogites, haec semper sententia manebit: a poetando, quum nimis tarde procedat, nunc libet abstinere. Nullo autem modo ea illo spectare possunt, ut totius saturae finem indicent; hisce enim uer-

bis 'tardor refrenet' ea opinio reprobatur. Quam refrenationem cum qui loquitur ab arte uersuum componendorum sibi adhiberi dicat, ea quam consequitur libertas, qua profecto non iam ut tarde sed ut strenue progrediatur uti uult, in eo tantum consistere potest, non ut itineri suo finem omnino imponat — tardoris enim impedimenta, non eundi molestiae ei sunt incommodo — sed ut alia ratione i. e. liberiore et copiosiore et uelociore soluti sermonis more in uia sua pergat. Quarto denique loco, si quis argumentationes ad Nonium spectantes omnes nimis lubricas esse opinatur, fragmentum quod apud Gellium extat afferam l. XIII c. 11; id quod in uersus per uiolentissimas tortiones cogentem Roeperum philol. XVIII 439 neminem certo credo assentientem habiturum esse. — Iam igitur extitisse prosam in saturis orationem non fallaci illo aurium sensu, sed certo ac stabili ratiocinandi iudicio consecuti sumus. Cuius cum uersibus confusionem neque solis Varro saturis sed Hebdomadum quoque siue de imaginibus libris simili sermonis alternatione adhibuit neque ipse primus inter Romanos usurpauit, cum iam in L. Atti poetae tragici Didascalicis prosariae partes a septenariis ut uidetur trochaicis exciperentur (qua de re alio mox loco accuratius agam); neque eius rei imitatoribus destitutus fuit. Inter quos Senecae[1]) quidem Martianique libris saturae, Petronii satirarum inscriptiones inditae sunt; Menippeas tamen eorum saturas ut appellemus nil omnino inducit, quamquam de Senecae *Ἀποκολοκυντώσει* primus Scaliger eam sententiam protulit, quem et alii[2]) et nuper magna cum fidentia Buechelerus

1) Huius saturam, quam multis modis Varronianis similem fuisse Buechelerus l. c. p. 419 sqq. ostendit, carminum iniectione compositam ad Varronis quoque eandem probandam adhibet rationem. Quod argumentum cum per se solum non nimis firmum sit — quid enim uetaret Senecam hoc genus uel sibi excogitasse uel ab ignoto quolibet scriptore sumpsisse? — cum aliis tamen quae supra iam proposui nec inepte nec inutiliter componetur.

2) Lipsio quoque id Scaliger uidetur persuasisse, cuius 'Satyra Menippaea' Somnium, qua criticorum peruersitates perstringit, ad Senecae exemplar tota instituta est.

l. c. p. 419 secuti sunt. Iam enim uidimus magisque etiam uidebimus, in eo quod prosa uersibusque mixtae sint non totam Menippearum proprietatem constare; accedere uero, quod grauius etiam est, ut cynica quadam insigniantur indole, ut σπουδογέλοιον genus consectentur, ut ridendo uerum dicere et docere delectando suscipiant; cuius generis cum nil omnino apud Senecam mera illum ludibria fundentem deprehendatur, a Menippeo cognomine in eum conferendo abstinendum erit. Hactenus haec; nam quibus rationibus singula fragmenta prosario uel poetico sermoni adsignanda sint, secundo demum capite quo de re metrica Varronis disseram inuestigandum erit.

Varro igitur quem Menippeas saturas suas appellasse Gellius l. c. p. 7 testatur, quocum optime ipse consentit in Testamenti saturae fragmento III haec proferens: '*e mea φιλοφθονια* (?) *natis, quos Menippea haeresis nutricata est, tutores do*

Qui rem Romanam Latiumque augiscere uultis'

quae de saturis profecto intelligenda sunt, — quomodo ille Menippi operum formam imitatus sit cum monstrarim, iam ea quae libellis continebantur uideamus qua ratione cum illo uel conspirarint uel ab illo discreparint. Qua in re non omnia certissima proferri posse cum ex scissis tantum breuissimisque plerumque saturarum frustulis conquirenda sint, nemo puto mirabitur. Primum igitur ueram uterque sapientiam commendat, quam quod ille in eo posuit si quis '*τὸ παρὸν εὖ τίθησι*', hic e philosophia colenda putat adipiscendam (cf. *περὶ ἐδεσμάτων* II: '*si, quantum operae sumpsisti ut tuus pistor bonum faceret panem, eius duodecimam philosophiae dedisses, ipse bonus iam pridem esses factus*'), nomine fere non re eos dissentire puto. Nondum enim cum '*uetera sua*' scriberet — sic enim ipsum saturas suas appellantem Cicero inducit in Acad. I 2, 8 — certam omni ex parte philosophiae doctrinam amplexus fuisse uidetur;[1])

1) Qua in re a Krahneri dissentio sententia, quam in subtili libello 'De Varronis philosophia.' Neobrandenb. 1846. exposuit. Neque enim rationes quas ille inter Varronis et Cleanthis stoici librorum prae-

imo licet stoicam disciplinam duce uirtute conditam dicat et nobilem (Sesq. XXIV), in eiusdem tamen sectatores iocos profert haud nimis laudatorios (Longe fugit II. Marcopol. I) parique aceto Academicos (Sesq. ibid.), Pythagoreos (Eumen. XVIII), fortasse etiam Empedoclem (Eumen. XIV) perfundit; ita ut suo iure et cum reliquis fragmentis concinentia haec scripserit: '*postremo nemo aegrotus quicquam somniat Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus.*' (Eumen. XV). Quocum non pugnat quod nonnunquam (Sesq. ibid. *π. αἱρ.* I.) de placitis eorum quaedam memorare necesse putat. Sed enim quaenam tandem fuit philosophia illa, quam in loco supra allato tam studiose commendat? '*Cana Veritas Attices philosophiae alumna*' (Eumen. XLVIII) cum ab eo putetur, non est alia quam laudat atque philosophia illa quam e caelo Socrates in terram deduxit, qua uirtutem sectari et uitia fugere et animum nullo affectuum impetu uinctum turbatumue parare subtilibus philosophorum ambagibus derelictis edocemur. Numnam igitur Varro a Menippo diuersus est? Socrati enim uterque similis recte uiuendi normam quaerunt; cf. pulcra illa (Agath. VI): '*neque auro aut genere aut multiplici scientia Sufflatus quaerit Socratis uestigia*'; qua re neque a cynicorum indole eos alienos fuisse apparet, ita ut apte Tertullianus in apologetico 14 'Romanum cynicum' Varronem dixerit. Ad eam potissimum partem ea quoque spectauisse credamus oportet, quibus philosophiam, ut ait Cicero l. c. I 3, 10, 'multis locis incohauit, ad impellendum satis, ad edocendum parum'.[1]) Quamquam neque illa prorsus desunt quae ipsas philosophorum quaestiones tan-

---

cipue inscriptiones quasdam intercedere putat, consulto a Varrone ut Cleanthem sectaretur institutas concedo; et quae p. 19 sqq. philosophici argumenti fragmenta confert, ea nil probant nisi quod Cicero testatur 'multa admixta ex intima philosophia', non tamen ita comparata sunt, ut ipsius Varronis quodcunque philosophiae systema inde elicere diuinando liceat.

1) Eis uerbis tacite et urbane ea ad iustum modum reuocare Ciceroni in animo est, quae ipsum Varronem paulo antea de se dicentem fecerat, se 'multa admiscuisse ex intima philosophia.'

gunt; nam animi et fons atque origo (Andabat. X) et cum corpore rationes (Mut. mul. scab. I) et ab eo denique separatio (Andabat. XI) a Varrone describuntur. Ad naturalem fortasse philosophiae partem sublimis illa mundi caelique descriptio pertinuit, quae extat in Dol. aut ser. cf. De salute. Man. VI; poetarum autem fictiones ab ea disciplina remouentur (Marcip. XII). Plerumque uero in morali disciplina uersatur, in qua nonnunquam etiam quaestiones quasdam soluere suscipit, uelut utrum uita in agendo an in cogitando posita praestabilior sit (in *Γνῶθι σεαυτόν*), utrumue artium, musicae imprimis, tractatio homini conueniat (in *Ὄνῳ λύρας*), plerumque tamen cum Menippum secutus bene ac modice uiuere summum bonum putet (cf. Mod. IV. V), eius modestiae contemptores praecipuos non tam subtiles philosophos habet qui humanarum cogitationum terminos egrediantur (etsi ne eos quidem nunquam cauilletur, u. supra), quam (utpote qui 'Romanus atque Sabinus' ipsas uitae agendae rationes meris philosophorum cogitationibus multum anteponebat) omnes illos qui a simplici et modesta priscorum Romanorum uita desciuerint. Hoc per singula fragmenta ostendere et longum et superuacaneum est, cum ubique fere eius rei testimonia extent; multa inprimis eo pertinentia in Sexagessi et in *Ταφῇ Μενίππου*, deinde in *Γεροντοδιδασκάλῳ* et in Bimarco multisque aliis inuenientur[1]). Itaque ea plerumque quae per luxuriem et auaritiam depravata erant insectatur; sed deorum quoque superstitiosas et recens demum inductas religiones, uelut cultum Serapidis (nam illum Pseuduli Apollinis nomine uidetur significasse) Magnaeque Matris reprehensione dignas existimat; cf. Seruius ad Aen. VIII 698: '*Varro indignatur, Alexandrinos deos Romae coli.*' Huc etiam quendam *κακὸν δαίμονα* alias ignotum pertinere puto, cf. *Ταφὴ Μενίππου* III. Sed poetarum quoque quendam neotericorum Quintiporem Clodium, de quo nisi e Varrone nil

1) Haec duo ex Sexagessi adnotasse sufficiet: '*Ergo tum Romae parce pureque pudentis Vixere in patria; at nunc sumus in vutuba*' et *In quarum locum subierunt inquilinae impietas, perfidia, impudicitia.*'

compertum habemus, lepide perstringit, cum ueteres ad Attium usque carminum conditores in summis ab eo honoribus habitos eique quasi comites fidos constantesque per totam uitam extitisse, id quod e doctissimis quos postea conscripsit libris unicuique compertum est, iam in saturis uel ipsorum uel sententiarum ex eis depromptarum commemoratio haud rara testatur; cf. e. c. Parmeno XII—XV. Antiquitatis igitur et temporis acti laudatoris partes cum in se susceperit, non tamen difficilis et querulus morosam uitae austeritatem (cf. Est modus matulae I. Devicti IV), sed simplicitatem tantum morum commendat. Itaque ut Menippeum unice decuit, iocis omnis generis saturae eius ubique sunt conspersae ipsaque illa festiuitas, quam propriam sibi innatamque esse Romani ipsi bene cognitum habuerunt, saepissime inibi deprehenditur, quae in seriis etiam grauibusque sententiis nonnunquam uno uerbo uelut scintilla repente emicat, cf. e. gr. Lex Maenia VIII. Sesq. XXV. Deinde '*multa dicta dialectice*' (Cic. Acad. I 2, 8) saturis inesse reliquiae significant multae quae argumentandi quandam speciem, licet de leuidensibus nonnunquam rebus agentes, prae se ferunt, cf. Cycnus II. III. Ἑκατόμβη VII. Est modus V. *Γνῶθι σεαυτόν* II. XI. Vinalia I all. Iam etiam ingentem uiri doctrinam horum quoque libellorum locis plurimis quasi ultro perrumpere, porro graeca et uerba et prouerbia Luciliano exemplo sed non nimis audacter expresso sermoni esse immixta, denique quod iam exposui et aliorum poetarum locos afferri et ipsius omnigenis carminibus saturas passim expolitas esse, ut recte earum imago describatur addendum est. Cuius maximam iam partem nitide admodum et eleganter Mommsenus in Historia Romana III 586 sqq. ed. tert. depinxit. Attamen unum puto accedet summi momenti auxilium ad penitus noscendam Menippearum indolem, quod supra iam uerbo significaui: Luciani dico libellorum cum Varronianis comparatio. Quam in uniuersum tantum generali quadam descriptione instituere cum nullam haberet utilitatem, singulos autem libros omnes percensere cum longum esset, duos inde potissimum depromam, quos cum Varronis Menippeis conferam. Jup-

piter Tragoedus, quem priorem affero, cum externa quasi facie illarum se similem iam prodit, uersibus sermoni prosario insertis, paroemiis adlatis, aliorum scriptorum sententiis usurpatis, tum indolem vere Menippeam, quam ex illis rebus iam licet suspicari, optime inlustrat. Quippe liber ad superstitionem delendam conscriptus neque recta quasi uia ipsiue tantum rei intentus propositum suum sectatur neque hoc ipsum apertis usquam uerbis profitetur, sed multis iocis legentes diuinare magis facit, quo tendat. Hoc quoque grauissimum inibi Menippeae rationis testimonium agnosco, quod actio quaedam per totum librum geritur, quod genus in Luciani libris permultis, in Romanorum autem satiris quae extant non saepe inuenitur; Varronianarum autem et inscriptiones et fragmenta persaepe eo inducunt, ut quod monstrare uoluerit scriptor narratione cuiusdam rei gestae eum quasi uelasse credamus. Accedit fortasse forma libelli qui constat dialogo; quam cum Lucianus adhibuerit saepissime, in Varronis quoque reliquiis non obscure eam animaduertimus. Summum uero est, ut dixi, quod propositum suum, deorum cultum esse ridiculum, non tam seriis argumentis quam ludibriis multimodis demonstrare aggreditur; quamquam neque illa in fine libri omnino absunt, ita tamen iocis inuoluta, ut *σπουδογελοίου* generis quale in Menippeis excolebatur exemplum aptius uix possis cogitare[1]) optimeque ex hoc loco disci possit quid sibi uelit illa quam Cicero l. c. in Varronianis inuenit philosophia multis locis incohata '*ad impellendum satis, ad edocendum parum*'. Haec omnia in alterum quoque quem significaui Luciani libellum, Icaromenippum, cadunt, nisi quod ibi scriptor propositum suum, philosophos esse contemnendos abolendosque, in fine aperte indicat, quodque uersus proprios ab hoc libro scriptor seclusit; eo tamen propior Menippeis est, quod partes in hoc libro primae nulli alii tributae sunt quam Menippo ipsi. Quem librum Vahlenus

1) Id genus eum consulto sibi sumpsisse excolendum ipse dicit in libello cui inscripsit 'In dicentem: Prometheus es in uerbis', cuius cap. 7 neminem in eo genere sibi praecessisse gloriatur, Menippum aut nondum tum cognitum habens aut fraudulento silentio opprimens.

l. c. p. 112. 120. 180 cum Varronis Sesqueulixe non male composuit; uterque saltem itineris descriptionem, quod cognoscendi ueri causa, ut uidetur, fit, continet; uterque etiam uersus Homericos non raro in partes uocat. Omne autem feret punctum qui ex Ioue tragoedo Varronianarum sibi imaginem formabit. In quo hoc etiam animaduertere licet, quod in Varronianis quoque non paucis suspicari possumus, inscriptionem libri non a proposito quod in eo praecipue tractatur desumptam, sed a re leuicula, quod initio Iuppiter pauca quaedam uersibus tragicis effert. Qua re admonemur etiam, ne apud Varronem ex inscriptionibus nimis confidenter de librorum argumentis iudicemus; quam cautionem ut adhibeamus, argumentorum quoque relationes quaedam suadent graece conscriptae post Varronem, quae adhuc extant, quarum nonnullae nullo sententiae vinculo cum ipsa inscriptione conexae sunt. Addendum denique, inter Menippi Varronis Luciani opera quaedam esse, quae titulis uel paribus uel ualde similibus indolis affinitatem, qua hi uiri coniuncti erant, magis etiam confirmant. Nam *Συμπόσιον* et *Νεκυΐαν* Menippus scripsit[1]) (v. p. 10, item *Συμπόσιον* et *Μένιππον ἢ Νεκυομαντείαν* Lucianus; *Ἐπιστολαὶ Κρονικαί* Luciani cum Menippi *Ἐπιστολαῖς κεκομψευμέναις ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου* ab Ochlero l. c. p. 34 not. apte conferuntur; *Κυνικός* Luciani et *Προμηθεύς* ad Varronis Cynicum et Prometheum nos referunt; neque in Luciani libris quibus inscribitur *Ἑρμότιμος ἢ περὶ αἱρέσεων* et *Περὶ θυσιῶν* absonum uidetur Varronis saturas *Περὶ αἱρέσεων* et *Ἑκατόμβην*, cui titulo grammaticus postea *περὶ θυσιῶν* adscripsit, in mentem uocare. Sed etiam Varronem cum Menippo hoc loco licet ea ratione componere, quod ille Testamentum saturam, hic *Διαθήκας* conscripsit.

His iam uariis uiis ac rationibus aliquam horum libellorum notitiam adepti penetralia ipsa ea qua decet uerecundia adeamus et quid ex saturarum reliquiis ipsis de in-

1) *Συμπόσιον* composuit etiam Meleager, cynicus Gadarensis, cuius libros Diog. L. VI 99 cum Menippeis comparat; cf. Athenaeus XI p. 502 c.

dole earum elici possit, temptemus noscere. Verecunde enim profecto est agendum nec si quae sunt quae sciri non possunt, ab ingenua confessione abhorrendum. Iam igitur uidimus, res serias in saturis tractatas, sed lepido quodam uestitu amictas, quo ad legendum minus docti inuitarentur; sed per se spectata ea res ab Horatio non multum differt. Peroptabile autem contigit, quod posteriore aeuo grammaticus quidam (de Varrone ipso non cogitandum esse, infra ostendam) nonnullis saturarum inscriptionibus eam rem graeco sermone adscripsit, de qua praecipue ibi scriptor agebat. Quod cum in tribus et triginta quantum scimus saturis factum sit et quattuor praeterea ipse Varro eo modo inscripserit, pro certo iam possumus affirmare, quaestiones de genere morali tractandas eum sumpsisse hasce: *περὶ ἀρετῆς κτήσεως, περὶ ἐμμονῆς, περὶ ἡδονῆς, περὶ δόξης, περὶ φιλονικίας, περὶ φιλαργυρίας, περὶ τύφου, περὶ φθόνου, περὶ μέθης, περὶ τύχης, περὶ ὡρῶν,* quibus addo *περὶ θυσιῶν* et *περὶ θεῶν διαγνώσεως.* Ad genus naturale paucae pertinent *περὶ κεραυνοῦ, περὶ φθορᾶς κόσμου, περὶ ἀνθρώπων φύσεως,* quibus addes hasce ad corporalem ut ita dicam uitam spectantes: *περὶ παιδοποιΐας, περὶ ἀρρενότητος, περὶ ἀφροδισίων, περὶ γήρως, περὶ εὐγηρίας.* Porro sunt quae res e media uita desumptas tractant: *περὶ ἀρχῆς, περὶ ἐπαρχιῶν, περὶ ἀρχαιρεσιῶν, περὶ νομισμάτων, περὶ γενεθλιακῆς, περὶ πειρατῶν, περὶ ἐγκωμίων, περὶ γεγαμηκότων, περὶ ἐδεσμάτων, περὶ διαθηκῶν, περὶ τάφης, περὶ τάφων*; quibuscum Bimarcum compono, in quo Varro se ipse *περὶ τρόπων* disputaturum profitetur, cf. fg. III. Perpaucae indicant philosophiam intimam in libris tractatam esse: *περὶ φιλοσοφίας, περὶ αἱρέσεων, περὶ χωρισμοῦ* (?), *περὶ ἐξαγωγῆς.* Omnes autem ad philosophiam aliqua ex parte spectarunt, cum etiam quae e uita media sumpta dixi ratione morali tractata fuisse fragmenta nonnulla doceant. Quamnam autem in eis philosophiam docuerit quorumue in praecepta maxime inclinauerit diiudicare arduum est. Varronem etenim cum satis constet Antiochi Ascalonitae magistri sui (cf. Augustinus de ciu. dei XIX 3) uestigia secutum esse (cf. Cic. epp. ad Att. XIII 12. 16. 19; at v. p. 20

extr.), qui nouae Academiae Stoicorumque placita aliquo modo inter se consociare temptauit, Krahnerum tamen qui Stoici p. 6 praecipue Cleanthis eum sectatorem putat de Varr. philos. sq.,[1]) cum e paucorum librorum inscriptionibus utrique communibus[2]) nimium equidem concludere nolim, argumento non satis ualido uti puto; cf. etiam adnot. ad saturam *Ἔχω σε*, sed etiam ad eam quae scribitur *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς*. Minime autem eis quae ille l. c. p. 20 sq. subtiliter ex Andabatarum inscriptione et fragmento '*Mortales multi rursus ac prorsus meant*' de animarum in caelum ascensu et inde descensu Varroni probato elicienda putat, subscribere uelim. Omnino autem certius puto non e pauculis uerbis conexum quaerere, praesertim cum nusquam fere sciamus utrum docendi an disputandi et refellendi causa sententiam, quae forte fortuna nobis seruata est, posuerit; sed ex inscriptionibus certa argumenta praebentibus i. e. e duplicibus. Sic cum *Aborigines* Varro saturam inscripserit, possemus cogitare de priscorum Italiae incolarum habitu moribusque descriptis; sed quae alius ille addidit '*περὶ ἀνθρώπων φύσεως*' ostendunt, de primigenio exortu ueraque hominum origine Varronem disputasse. Quare, ut occasione oblata hoc addam, ea quae Censorinus Varronianae ille doctrinae compilator c. 4 de ortu generis humani a philosophis uarie descripto docet, ex hac eum satura mutuatum esse probabile uidetur. Ibi autem philosophorum magnus numerus producitur; magisque omnino ni fallor tali sententiarum enumerationi recensendae quam suae ipsius opinioni argumentis firmandae Varronis indoles apta erat (cf. Mommsenus l. c. p. 587). Satis recte autem Krahnerus l. c. p. 10 haec eum tractasse philosophica e reliquiis apparere dicit: de natura hominis, de animae immortalitate,

1) Tamen etiam Platonicae et Pythagoricae disciplinae uestigia agnoscit cf. p. 15. 19; quare ad summam idem dicit quod ego p. 20 extr.

2) Krahnerus Varronis saturas *Τριοδίτην Τριπύλιον περὶ ἀρετῆς κτήσεως*, Gloriam *π. φθόνου*, Columnam Herculis *π. δόξης*, Bimarcum (*π. τρόπων*), Caprinum proelium *π. ἡδονῆς* cum Cleanthis scriptis (cf. Diog. L. VII 175) hisce *περὶ ἀρετῶν π. φθονερίας*, *π. δόξης*, *π. τρόπων*, *π. ἡδονῆς* componit.

de rebus diuinis fere omnibus, de mysteriis, de deorum interpretatione physica, de iure pontificio, de mundo, de stellis, de musica communi et caelesti, alia id genus. Sed haec et talia in adnotationibus tetigi; quod maioris est momenti, quo haec ornatu uestierit siue quarum rerum narrationibus haec immiscuerit, uideamus. Sed apparebit, tenuia nobis et exilia neque haec certissima omnia ex copiosa illa ubertate enumeranda restare.

Persaepe conuiuium instituisse uidetur siue philosophorum siue aliorum hominum, in quo sermonum conuiualium occasione quae uoluit commode inducere poterat; cf. Agathonem, Endymiones, Eumenides, Legem Maeniam, *Ταφὴν Μενίππου*. Funerum descriptiones continuerunt Manius (fg. I), Meleagri (fg. IX), *Ταφὴ Μενίππου* (fg. I. II); pugnarum instructiones in *Ἄμμον μετρεῖς* et *Ἔχω σε* et *Κοσμοτορύνῃ* et fortasse Desultorio, itinera in *Κοσμοτορύνῃ*, Marcipore, *Περιπλῷ*, Pranso parato, Sesqueulixe inueniuntur. Inseruntur etiam res ciuiles cum turbulentorum plerumque temporum inuectione, cf. *Γεροντοδιδάσκαλος* fg. XVII, *Ἱπποκύων* I, Papiapapae XIII, *περὶ κεραυνοῦ* II, Serranus fere totus; philosophorum rixa in Armorum iudicio; uenationes in Pranso parato, Parmenone, Meleagris; alia. Talia in saturis agebantur; actiones enim plerumque illis infuisse Luciani iam exemplum uerisimile reddidit, cf. p. 24. Illustrandis autem eis quae profert exempla quoque uel ex historia uel ex mythologia apposuit; illuc pertinent quae narrantur de Socrate (*Ἑκατ.* VI), de Croeso (ib. I. Sesq. XIII), Diogene (Marcip. XIX), Curio Dentato (*Γεροντ.* V), Sp. Carvilio (*Τ. πατρ. τ. παιδ.* II), Hannibale (*π. ἐξαγ.* I), Serrano (Serr. III ?), de libris Numae (Man. IV?); huc quae de Hercule (*Ἄλλ. οὗτ. Ἡρ.*), Oedipo (Oedipoth.), Medea (Marcip. VII—X), Adoni (Test. I), Actaeone (Syneph. I), Andromeda (*π. ἐξαγ.* II), Tutano et Tutilina (Herc. t. f. I. II), Epimenide (Sexag. I. II) attulit. E mythologia fortasse (cf. Oehlerus l. c. p. 78) etiam universam nonnunquam narrationem sumpsit, ut in Catamito, in libris *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς* et Hercules tuam fidem inscriptis, in Oedipothyeste, Tithono, Prometheo; quorum in ultimo cum

satis licenter ab ipsa fabula ad res suorum temporum ridicule depingendas transierit, neque in aliis ab eo proposito eum alienum fuisse uerisimile est. In logistoricis quoque a fabulosis rebus Varronem non prorsus abhorruisse Orestes et Tanaquil (si quidem Mercklinus mus. philol. XII p. 392 sq. Tanaquilem inter logistoricos recte rettulit) ostendunt (cf. Ritschelius mus. philol. VI p. 543); ceterum de his libris infra accuratius disputabo. — Saepissime autem in sua aetate Varronem actionem saturae collocasse et per se uerisimile est et inde apparet, quod 'Marcus' quo praenomine se ipsum significari uult, ut Bimarci fg. III declarat, praeter hunc locum etiam Sexag. fg. XVII et Flaxtab. fg. VI in sermonibus occurrit, quodque in Bimarco et Marcipore et Marcopoli saturis magnas eius partes fuisse per se consentaneum est.

Imitatus esse Varro uidetur in Tithono [περὶ γήρως] Aristonis Cei Peripatetici librum, quo Tithonum ille de senectute disserentem induxerat; cf. Cicero Catonis c. 3. Ritschelius mus. philol. I p. 193 sqq. Krahnerus l. c. p. 21. Porro Promethei declamationem in cognomine satura Aeschyleae esse similem Vahlenus coni. p. 168 sq. agnouit; Eumenides autem Varronis quin idem p. 170 sq. ad Aeschyleam fabulam recte rettulerit dubito, cum unicum fg. XLIX aliquo modo huic opinioni suffragari possit. Ad Sesq. idem quod in propatulo erat Odyssiae uersus aliquot comparauit. Agatho numquid ad Platonis exemplum effictus sit, nolo decernere. Cum Aiace stramenticio Apollodori Geloi Ψευδαίαντα Oehlerus et Ritschelius mus. philol. XII p. 152 conferunt. Plura imitationis uestigia non uidentur extare; omnino autem Varronem, quaecunque in satiris imitatus est, liberrime suum in usum uertisse fere pro comperto affirmare possumus.

Porro Varro, sicut Lucianus, dialogos saepissime composuisse uidetur; hoc indicant cum frequenter posita illa *'inquam' 'inquit'* similia (cf. Epitaph. II. Σκιαμ. IV. Eum. IX. XXX. XXXVIII. Ὄν. λύρ. XVI. in quibus more Platoni iam usitato colloquium non ipsum quasi in scaenam produci, sed ab aliquo homine enarrari uidetur, qui illius

particeps fuit, cf. Eum. XXII.) et allocutiones quaedam solemni plerumque formula '*non uides*' uel '*nonne uides*' incipientes (cf. Est mod. mat. V. Flaxt. I. *Γεροντ.* XVI. *Γνῶθ. σ.* II. IX. *Ὄν. λύρ.* XI. Pap. I. *Ταφ. Μεν.* XXII. XXIII. Vinal. I. *Ὑδροκ.* I. — *Ἄμμ. μετρ.* II. *Ἑκατ.* VII. Sard. I. alia), tum in uniuersis quibusdam saturis perspicua indoles hominum inter se disputantium sermonibus constans, maxime in *Ὄνῳ λύρας*, ubi musicae amator et contemptor collocuntur, et in *Γνῶθι σεαυτόν*, ubi uitam alter in agendo, alter in contemplando positam defendit. Hic est ille '*modus scaenatilis*' quem sibi proprium esse in Modii fg. I ipse Varro praedicat. In tali dispositione et ipsa res quadam constantia tractari et res quaelibet incidere potuerunt, qua iterum ad Luciani Iouem Tragoedum deducimur, qui sub finem praecipue hanc rationem optime inlustrat. Nam et illic non docendo simpliciter, sed disputando res tractatur. Inde autem hoc quoque docemur, non alienum esse a genere *σπουδογελοίῳ*, ut quaestio in partes suas distribuatur eaeque suo ordine pertractentur; id quod in Varronianis factum animaduertimus Test. fg. II. *Γνῶθ. σ.* I.

Prologos fuisse siue praefationes uersibus nonnunquam conscriptas (cf. Iuppiter Tragoedus) comperimus ex Gloriae fg. I. Mod. I. II. *Ὄν. λύρ.* I—VIII, quos cuinam locutori attribuerit scriptor incertum est. Sed memorabile, hos uersus omnes senarios esse iambicos ad seueram Graecorum legem compositos, quam non saepe obseruauit.

Denique duos adhuc nominare possumus homines quibus saturas Varro inscripsit: Seio (cf. Buechelerus mus. philol. XIV 421 sq.) Bimarcum, Modium Petrullo siue Petullo dedicauit; cf. Bim. III. Mod. I.

Sed de saturis hucusque disserui tamquam certissimus, quinam inter Varronis libros ad hoc genus pertineant. Iam igitur ratio reddenda est de eis rebus quibus saturae a reliquis differant, ipsarumque tum numerus et nomina quantum fieri potest accuratissime componentur. Libri autem qui in hanc rem quadrant non sunt illi doctrina Varro-

niana referti, sed fere hi: poematorum libri X.[1]) satirarum libri IV. pseudotragoediarum libri VI. logistoricorum libri LXXVI. Sed poemata (cf. p. 16) nisi hoc ipso uel simili titulo non potuerunt afferri, qualis in Varronianis non occurrit nisi loco p. 16 laudato; de satirarum libris quattuor ibid. dixi, quorum si quae hodie extant, ea a reliquiis Menippearum discerni non possunt — nec id multum attinet; pergimus ad pseudotragoedias (nam sic legendum est; cf. p. 16), de quibus Ritschelius mus. philol. XII p. 152 dixit. Recte ille Alcaei *κωμῳδοτραγῳδίαν*, Graecorum in Italia *ἱλαροτραγῳδίαν*, Plautinam denique tragicomoediam in partes uocat; cf. etiam Meinekius Com. Gr. I p. 247; Roeperus philol. XVIII 426 sqq. Eandem fuisse Varroniani operis indolem diuinare licet, ut heroum deorumue res gestae uersibus comice factis irriderentur;[2]) a qua re Varronis animus non abhorruisse intellegitur ex eis quae Augustinus de civ. dei VI 5 e rerum diuinarum libro primo seruauit '*mythicon* (theologiae genus) — *in eo sunt multa contra dignitatem et naturam immortalium ficta — — denique in hoc omnia dis attribuuntur, quae non modo in hominem, sed etiam in contemptissimum hominem cadere possunt.*[3]) De pseudotragoediis autem cum omnia sint incertissima, aliquanto tamen puto inlustrior condicio earum fiet, si eas cum Roepero l. c. p. 429 et cum sana ratione (nam tragoediam inter et comoediam aliquo modo uersantur) tantummodo uersibus fuisse conscriptas accipimus. Quare trium librorum quos dubitanter Ritschelius huc rettulit — Oedipothyesten dico, Pseudaeneam, Aiacem stramenticium, — primus et postremus,

1) Nam poematorum, non poematum Varronem dixisse Charisius testatur p. 141; unde corrigendum p. 15 extr.

2) Nisi forte erat actio tragice descripta personarum a tragoedia alienarum; ita ut denuo possimus Lucianum in comparationem uocare Tragoedopodagra et Ocypode.

3) Profecto trecenti illi loues quos sine capitibus Varro introduxit (cf. p. 10. frg. inc. X), quidquid significabant (nam hoc difficillimum est explicatu), irrisionis certe causa ficti erant; quare nolo cum Merkelio (Prolegg. ad Ouid. Fast. p. CCXXI qui falso ea explicat p. CCXXVIII) ad rerum diuinarum libros, sed aut ad saturas aut ad pseudotragoedias hanc sententiam referre.

quorum fragmenta prosario sermone esse composita altero capite apparebit, a pseudotragoediis segregandi sunt; Pseudaeneas uero perbene poterit inter illas referri (quamquam nil omnino hoc nos facere cogit). Possis hos quoque libros addere: Armorum iudicium, Pacuuiano Attianoque nomine insignitum, cuius duo fragmenta philosophorum quandam *λογομαχίαν* describentia poetica sunt; *Λογομαχίαν* ipsam, quae Homericam *τειχομαχίαν* et *θεομαχίαν* et similia in mentem uocat[1]); Aethrionem fortasse, Caecilianae comoediae nomine parem; denique Catamitum, rem dis irridendis aptissimam tractantem[2]). Omnia autem quae fragmenta continent prosaria a pseudotragoediis remouenda duco. Sed haec cum nimium sint lubrica, non ut spero reprehendar, quod hoc quidem loco haec disserui, fragmenta autem e reliquorum numero eximere seorsumque ponere non ausus sum.

Tandem ad logistoricorum — quos ipse Varro graecis litteris *λογιστορικούς* dixisse uidetur, quae quidem forma in catalogo Hieronymiano extat, excerpto illo secundum Ritschelium mus. philol. VI 549 sqq. ex Varronis ipsius scriptis — peruenimus libros LXXVI, quos Ritschelius ind. schol. hibern. Bonn. 1845 egregie illustrauit. De eis haec fere dicenda sunt. Primum quicunque liber certo logistorici nomine laudatur, duobus est titulis insignitus; cf. Catus aut de liberis educandis (Gellius IV 19); Messala de vale-

1) Quamquam *Σκιομαχίας* quoque admonet, quam fragmenta pedestri partim oratione conscripta saturis uindicant.

2) Ne enim hunc librum quia '*Varronis Menippei*' ab Eutychio affertur, inter saturas Menippeas cum Oehlero p. 48 numerare necesse putes cf. Krahnerus de Varr. philos. p. 9. Sane locorum quibus Varro appellatur Menippeus (quos p. 8 enumeraui) plerique ad saturas spectant; sed Probus tamen de Antiquitatibus et Symmachus de Hebdomadibus loquentes itidem Menippeum appellant. Quid etiam mirum est, si homines illum ut a Varrone Atacino distinguerent, non Reatini solum uerum etiam Menippei nomine insigniuerunt? Quare neque necessario Hertzii opinio quam mihi communicauit amplectenda est, qui Diomedis uerba p. 371, 23 K. de coniugationibus '*sunt enim euidenter exposita* [*et Lucilio* addit] *et Varroni Menippeo*' de satura aliqua rem grammaticam tractante intellegit; quamquam ualde mihi hanc sententiam placere confiteor, ita ut nel inter fragmenta incerta locum receperim.

tudine (Probus ad Verg. ecl. VI 31); Tubero de origine humana (ibid.); Curio de deorum cultu (ibid.); Marius de fortuna (Macrobius Sat. III 18, 6); unus excipiendus Gellius XX 11 Cato alterum titulum demens. Eidem libri cum uel sine logistoricorum nomine duobus suis titulis soleant designari (sic Catus ap. Macrobium III 6, 5 et tricies septies apud Nonium; Tubero ap. Censorinum 9; Marius in Scholiis Veronensibus ad Aen. VII 681), eos quoque qui eandem inscriptionum rationem exhibent, i. e. nomen primo loco proprium, deinde libri argumentum latino sermone expressum, non tamen logistorici nuncupantur, inter hos numerare opus erit, qui sunt Orestes de insania (Gellius XIII 4); Sisenna de historia (Gellius XVI 9); Pius de pace (Gellius XVII 18); Atticus de numeris (Censorinus 2; de muneribus cii. Manutius et Ritschelius); Gallus siue Gallus Fundanius de admirandis (Macrobius III 15, 8; Nonius p. 71. 217). Iam etiam similes inscriptiones altera parte mancas huc audemus referre, uelut Scaurum (Seruius ad Georg. I 19; Charisius quater, de quo p. 37 disputabo), Calenum (Seruius ad Aen. IX 53), Laterensem (Diom. p. 368. Prisc. X p. 511 H.), Nepotem (Charis. p. 59), Scaeuolam (Macrobius de diff. 19, 32). Sed ne nimis tibi confidas: nam Serranus quoque, si altera inscriptione egeret, nemo dubitaret quin logistoricus esset; quem graeca apposita *περὶ ἀρχαιρεσιῶν* saturis vindicant.

Haec iam de inscriptionibus; indolem autem horum librorum si ex nomine primum 'logistoricorum' a Varrone ut uidetur inuento cognoscere quaerimus, *λόγους* quoscunque i. e. sententias uel obseruationes uel praecepta ita in eis tradi inuenimus, ut historica multa explicandi uel exornandi causa sermoni immisceantur. Hoc enim Ritschelio mus. philol. VI 543 not. recte ut puto probabilius uidetur, quam si *λόγους* fabularum notione accipientes uerae et fabulosae historiae coniunctionem his libris uindicaremus. Illum autem modum obtinuisse (ita sane, ut fabulosa quoque occurrere potuerint cf. p. 34 sq.; quae inter historica latiore sensu dicta numeranda sunt) cum ipsae inscriptiones, tum reliquiae Cati logistorici docent, quo rem seriam,

liberorum educationem, seriis uerbis ita uidemus tractari, ut pleraque in ipsa re uersentur, nonnullis exempla afferantur qualia possunt dici historica. In quo sermocinandi uestigia Ritschelius indice s. adl. p. XII sq. deprehendit, actionem autem per librum saturarum modo continuatam non animaduertimus. Hic modus ualuit etiam in libellis Heraclidis Pontici, quem Varronis in logistoricis scribendis auctorem fuisse Ciceronis epistulae tam aperte docent, ut non possit cum Ritschelio l. c. p. 542 dubitari. Ille enim Attico suo a. 710 promisit (epp. ad Att. XV 27, 2) '*excudam aliquid* 'Ηρακλειδεῖον, *quod lateat in thesauris tuis*'; repetiit promissum epp. XVI 2, 5 '*Ἡρακλειδεῖον, si Brundisium salui, adoriemur*' et ne quid dubium sit, epp. XVI 3, 1 initium etiam opellae posuit '*quod uero scribis te magis et magis delectari* 'O Tite si quid ego', *auges mihi scribendi alacritatem*'. Est igitur Cato de senectute, quem librum 'Ηρακλειδεῖον Cicero appellat. Breui autem antea Varro ipse Ciceroni, ut pro Academicorum munere gratum se praeberet, 'Ηρακλειδεῖον promiserat; cf. epp. ad Att. XV 13, 3 '*Varronis διάλογον expecto. Iam probo* 'Ηρακλειδεῖον, *praesertim cum tu tantopere delectere*'; quod cum illi XVI 11, 3 nondum traditum esset ('*Varronis — a quo adhuc* 'Ηρακλειδεῖον *illud non abstuli*'), postea magno gaudio se accepisse narrat ib. XVI 12 '*de* 'Ηρακλειδείῳ *Varronis negotia salsa. me quidem nihil unquam sic delectauit*[1]).' 'Ηρακλειδεῖον igitur cum Cato de senectute sit, cumque eiusdem generis opera Varronem scripsisse audiamus eiusdemque generis inscriptiones Varronianas cum habeamus in logistoricis seruatas, quid facilius colligitur quam his operibus Heraclidem cum esse imitatum? Quem Diogenes Laertius V 89 ita describit: '*ἔστι δ' αὐτῷ καὶ μεσότης τις ὁμιλητικὴ φιλοσόφων τε καὶ στρατηγικῶν καὶ πολιτικῶν ἀνδρῶν πρὸς ἀλλήλους διαλεγομένων — — ἄλλως τε καὶ ἐν ἅπασι ποικίλος τε καὶ διῃρημένος τὴν λέξιν ἐστὶ καὶ ψυχαγωγεῖν ἱκανῶς δυνάμενος.*' Quae omnia in logistoricos

1) Hunc librum fuisse aliquem 'Ciceronem de eloquentia' ludibundus quis possit conicere.

optime quadrant; nam ibi quoque dialogos institutos esse et in Cati fragmentis perspicitur (u. supra) et inde quod Cicero Varronis *διάλογον* expectauit apparet. Vna re Heraclides ab illo differt, quod nomina propria paucis tantum inscripsit, Acusio et Cliniae et Protagorae (u. Diog. L. V 87 sq.); cetera argumentorum tantum inscriptiones habent, nisi forte etiam Abaris est inscriptio libri, cf. Plutarchus de aud. poet. 1, qui *τὰ περὶ τῶν ψυχῶν δόγματα* (haec exempli causa affert) *μεμιγμένα μυθολογίᾳ* talibus inesse dicit, quibus uerbis uel nomen logistoricorum fere tangit.

Quaerendum iam est nomina propria cur eis inscripta sint. Qua de re Ritschelius quod antea opinatus erat (l. c. p. III. cf. p. VII. XII.), homines significari quibus honoris uel amicitiae causa Varro libros dedicauerit eosque simul aliquo modo cum re tractata coniunctos esse, id ipse postea recte retractauit. Nam nullo modo id fieri potuit in Oreste de insania, quem si ab Aureliis Orestis, familia Romana, nominauit, ingratum profecto honorem amico tribuisset. Quod uerum est, Ritschelius mus. philol. VI 552 not. 4 posuit, eos intellegendos esse quibus summas in dialogo partes Varro tribuerit, cui sententiae Mercklinus mus. philol. XII 395 et Krahnerus l. c. p. 12 adstipulantur[1]); quod idem Cicero in Catone et Laelio, *Ἡρακλειδείοις* suis, instituit; potuit Ritschelius Heraclidis quoque ipsius librum *περὶ τοῦ ῥητορεύειν ἢ Πρωταγόρας* (Diog. L. V 88) in subsidium uocare. Dedicare igitur aliis omnino, si uoluit, hos libros poterat, quam eis quorum nomina prae se ferunt[2]). Mortuis etiam cum saepenumero summas partes tribuerit, nulla tamen quasi lege ad hunc se usum adstrinxit; Nepos enim et Atticus uiui etiamtum fuerunt cum libri cognomines scriberentur[3]); neque quidquam ex tempore, quo uiri

1) Krahnerus cum esse dicit libro inscriptum 'cum cuius indole res coniuncta est'; id quod, cum dialogis institutos hos libros uidimus, idem fere dicit quod Ritscheli sententia.

2) Sic Cicero Catonem et Laelium Attico dedicauit.

3) Atticus a. u. c. 722 (Nepos Att. c. 22), Nepos 'diui Augusti principatu' (Plinius N. H. IX 137), Varro a. u. c. 726 (Hieronymus chron. ol. 188, 1) diem obierunt supremum.

supra nominati mortui sunt, de annis conscriptorum logistoricorum eruere licet[1]).

Res ipsas ex genere morali, naturali, historico tractari et serias et serio iam memoraui; neque inter fragmenta ullum extat, quod uersibus constare (uersus proprios esse immixtos praeterea et ipsum logistoricorum nomen et Catonis Laeliique comparatio credere prohibet) uel leuissima exoriatur suspitio; Roeperum autem qui ut ingenio suo indulgeret hic quoque uersus hercle quam suaues sibi denegare non potuit (philol. IX 276 sq. progr. Gedan. 1858 al.), a quibusdam uiris doctis probatum esse non sine admiratione comperi. Hoc potius iam discrimen habemus quo a saturis hos libros segregemus, ut si quod fragmentum uersibus constet, logistoricis non possit addi; quare Mercklino l. c. XII p. 394 Agathonem et Parmenonem huc transferenti assentiri non possumus. Alterum discrimen ex sermonis indole sumemus, quoniam quaecunque iocose et festiue dicta deprehenduntur, ea logistoricis minus apta esse iudicauimus; nec tamen omni numero certum est id

1) Laudationes Varronis quas Cicero Acad. I 2, 8 ita affert: '*Et tamen in ueteribus nostris, quae Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice, quaeque quo facilius minus docti intellegerent, iucunditate quadam ad legendum inuitati* in laudationibus, in his ipsis antiquitatum prooemiis philosophiae scribere uoluimus, si modo consecuti sumus*' — has igitur laudationes Krahnerus l. c. p. 12. Varr. Curio p. 17 non esse diuersas affirmat a logistoricis. Quorum cum Pium, Sisennam, Curionem laudationum munere functos non sit incredibile, haudquaquam tamen ea uox in Marium uel Scaurum adeoue Orestem cadere potest. Sed omnino Ciceronis ille uerbis ipsis refellitur, quem ne Varro ille δεινὸς ἀνήρ, cuius de minimis rebus querelas formidat (epp. ad Att. XIII 25, 3), in his libris aliquid inueniat offensionis anxie curasse uidemus; certis igitur hunc, cum Varronis libros laudaret, nominibus et intellectu facilibus uti consentaneum est, qualia sunt 'ea quibus Menippum est imitatus' et 'prooemia antiquitatum'. Fortasse extitit reuera logistoricorum nomen in lacuna, quam post uocem *inuitati* primus Casaubonus de sat. poes. Gr. et Rom. satira p. 202 detexit. Laudationes autem inter orationum libros XXII ab Hieronymo commemoratos commodissime ponentur cum Ritschelio l. c. p. 496 sq.

argumentum. Tertium ex ratione inscriptionum supra descripto repetetur[1]). Iam logistoricorum indicem conficiemus.

1.	Catus	de liberis educandis
2.	Messala	de ualetudine[2])
3.	Tubero	de origine humana[3])
4.	Curio	de deorum cultu[4])
5.	Marius	de fortuna[5])
6.	Atticus	de numeris[6])
7.	Orestes	de insania
8.	Pius	de pace
9.	Sisenna	de historia
10.	Gallus Fundanius	de admirandis
11.	Scaurus[7])	—

1) 'Die innere Oeconomie. die Färbung der Diction müssen die Unterschiede bewirkt haben' Mercklinus l. c. p. 395; neque tamen ipse quantum licuit hanc sententiam adhibuit.

2) Eundem censet hunc librum Ritschelius l. c. VI p. 502 atque '*de ualetudine tuenda librum I*' apud Hieronymum memoratum; obloquuntur Keilius Obss. crit. in Caton. et Varron. de r. r. p. 62 et Mercklinus l. c. p. 396. Num (Valerium) Messalam de ualetudine lusus uerborum causa, quales in rerum rusticarum libris adhibere solet, coniunxit?

3) Eandem rem, sed certo aliter, in Aboriginibus satura tractauit.

4) De hoc libro Krahnerus 'Varronis Curio 1851' uere egregie egit, quamquam hic illic paulo argutius; ad cuius libellum refero, cum in hoc de saturis libro omnia haec singillatim pertractare ineptum esset. Liber conscriptus est post a. u. 687, cf. Krahnerus p. 16 sq.

5) Cf. saturam *Ἔχω σε* [*περὶ τύχης*]; liber post uarios Marii casus (a. u. c. 667) conscriptus.

6) Sic codices recte exhibent (de muneribus Manutius, Ritschelius de logg. p. V): a chronologico fortasse illius opere exordium sumptum.

7) '*Varro in Scauro*' a Charisio quater laudatur. Seruius autem cum in Georg. I 19 Varronem '*de scaenicis originibus uel in Scauro*' adferat, alteram logistorici inscriptionem indicare nonnullis uisus est, quam coniunctionem res ipsa non reprobat, cum M. Aemilius Scaurus, aedilis a. u. c. 696, ludorum scaenicorum quos edidit magnificentia excellucrit. Refellitur autem cum ea re, quod operi de scaenicis originibus, septies praeterea memorato, librorum ubique a primo ad tertium numerus apponitur, quod in Scauro nusquam factum est, tum quod Censorinus, logistoricorum fidissimus inter omnes nomenclator (c. 2: *libro cui titulus est Atticus et est de numeris;* c. 9: *libro*

12. Laterensis —
13. Nepos —
14. Calenus —
15. Scaeuola —
16. — de moribus[1])
17. — de pudicitia[2])
18. — de philosophia[3])
19. — de saeculis[4])

Haec de logistoricis. Iam autem uia satis plana non nimium erit difficile quos librorum titulos saturarum libris CL. (hunc numerum fortasse obiter tantum computatum catalogus praebet Hieronymi) adtribuamus inuestigare. Satirarum igitur Menippearum nomine hae laudantur:

1. *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς* (Macrobius III 12, 6)
2. *Ἱπποκύων* (Gellius III 18, 5)
3. Nescis quid uesper serus uehat (Gellius XIII 11, 1; Macrobius I 7, 12)
4. *Σκιαμαχία* (Gellius XIII 23, 4)
5. *Ὑδροκύων* (Gellius XIII 31)
6. 'Satura Menippea quam de officio mariti scripsit' (Gellius I 17, 4)[5])

Proxime his addendae sunt quae cynicae appellantur (cf. p. 7):

---

qui uocatur Tubero et intus subscribitur de origine humana), c. 17 ita habet '*Varro de scaen. orig. libro primo*', nil addens de Scauro. Quare unicum coniunctionis fundamentum leniter sic puto mutandum: '*Varro de scaen. orig. II et in Scauro*'. Cf. appendix.

1) Logistoricus incertissimus. Ad librum de philosophia Krahnerus p. 2 sq., ad 'Atticum de muneribus' Ritschelius p. VI, ad libros tres *περὶ χαρακτήρων* ap. Charis. p. 189 Mercklinus l. c. p. 394 fragmentum referunt.

2) Huius libri alterum nomen Tanaquilem esse Mercklinus p. 392 sq. acute et paene ut prorsus persuaderet demonstrare suscepit.

3) Cf. Krahnerus p. 3. 12 sq. Ritschelius p. VII. p. 503. 547. de Varr. discipl. libr. p. 14. Mercklinus p. 391. 397.

4) Cf. Ritschelius p. 542. O. Muellerus Etruscis II p. 335.

5) Consulto praetermisi libros qui non ut Menippeae, sed ut a 'Varrone Menippeo' conscripti afferuntur: *Age modo* (Charisius p. 118) et *Catamitus* (Eutychius p. 2169 P. 175 L.): cf. p. 32 not. 2.

7. Dolium aut seria (Probus in Verg. ecl. VI 31)
8. †Post uinum seplasia fetet (id. ibid.)

Saturae simpliciter nuncupantur hae:

9. *Δὶς παῖδες οἱ γέροντες* (Gellius VII 5, 10)
10. Ecdemeticus (Gellius XIX 8, 17)
11. Flaxtabula (Plinius H. N. praef. 24)
12. *Περὶ ἐδεσμάτων* (Gellius VI 16, 1. XV 19, 1)
13. *Περὶ κεραυνοῦ* (Macrobius III 12, 2)
14. Sesqueulixes (Plinius l. c.)
15. *Τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον* (Gellius XIII 29, 5)
16. Testamentum (Gellius III 16, 13)
17. 'Satura quae scribitur de salute' (Philargyrus in Verg. Georg. II 336).

Hi Varronis libri cum soli saturarum nomine commemorentur, iam fere possumus dicere, e reliquorum numero omnes, qui neque librorum disciplinas singulas docte exponentium neque logistoricorum uel pseudotragoediarum titulos habeant — qui quales fuerint iam dixi — inter saturas esse collocandos. Sed tamen certioribus etiam normis hic saturarum catalogus confici potest; cui negotio absoluendo postquam Oehlerus p. 52 sqq. et Vahlenus p. 203 sq. laudabilem operam nauarunt, non ita multa addenda restant.

Primum igitur inde proficiscamur, quod illis saturis, quas numeris 4. 11. 15. 16 supra addidi, nonnunquam alterae inscriptiones adiciuntur graecae[1]), quae uoce *περὶ* ad unam omnes incipiunt argumentaque librorum significant. Tales autem inscriptiones cum quattuor quidem libris, quos saturas fuisse scimus, nulli autem quem constet saturam non fuisse, inditas inueniamus, nostro iure concludimus, has nullis nisi saturarum libris impositas fuisse. Addimus igitur indici nostro hosce libellos:

18. Aborigines (*περὶ ἀνθρώπων φύσεως*)
19. *Ἄμμον μετρεῖς* (*περὶ φιλαργυρίας*)
20. *Ἀνθρωπόπολις* (*περὶ γενεθλιακῆς*)

2) *Σκιαμαχία*, *περὶ τύφου* (Nonius p. 10. 131. 202. 489). Flaxtabulae, *περὶ ἐπαρχιῶν* (ibid. p. 27. 28. 82. 219. 391. 458). *Τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον*, *περὶ εὐγηρίας* (ibid. p. 71. 156. 216). Testamentum, *περὶ διαθηκῶν* (ibid. p. 77. 158. 478).

21. Caprinum proelium (*περὶ ἡδονῆς*)
22. Columnae Herculis (*περὶ δόξης*)
23. Cycnus (*περὶ ταφῆς*)
24. Desultorius (*περὶ πειρατῶν*)
25. Deuicti (*περὶ φιλονικίας*)
26. *Ἑκατόμβη* (*περὶ θυσιῶν*)
27. Epitaphiones (*περὶ τάφων*)
28. Est modus matulae (*περὶ μέθης*)
29. *Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα* (*περὶ γεγαμηκότων*)
30. *Ἔχω σε* (*περὶ τύχης*)
31. *Ἕως πότε* (*περὶ ὡρῶν*)
32. Gloria (*περὶ φθόνου*)
33. *Κοσμοτορύνη* (*περὶ φθορᾶς κόσμου*)
34. Marcopolis (*περὶ ἀρχῆς*)
35. Mutuum muli scabunt (*περὶ χωρισμοῦ*)
36. Octogessis (*περὶ νομισμάτων*)
37. Papiapapae (*περὶ ἐγκωμίων*)
38. *Περιπλοῦς* (libris duobus constans, quorum posterior est *περὶ φιλοσοφίας*)
39. Pseudulus Apollo (*περὶ θεῶν διαγνώσεως*)
40. Serranus (*περὶ ἀρχαιρεσιῶν*)
41. *Συνέφηβος* (*περὶ ἐμμονῆς*)
42. Tithonus (*περὶ γήρως*)
43. *Τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον* (*περὶ παιδοποιίας*)
44. *Τριοδίτης τριπύλιος* (*περὶ ἀρετῆς κτήσεως*)
45. *Τρίφαλλος* (*περὶ ἀρρενότητος*)
46. Vinalia (*περὶ ἀφροδισίων*).

Cum autem saturam duorum librorum in hoc indice deprehendamus, etiam tres libros saturam habuisse non per se improbabile est. Quod igitur Charisius p. 189 Varronem *'in III περὶ χαρακτήρων'* laudat, graeca inscriptione satura ni fallor indicatur, quam nomine tantum altero ille breuitatis in titulis nimis studiosus affert (cf. tamen p. 44).

47. ? (*περὶ χαρακτήρων*).

Porro inter saturas illas *'quas alii cynicas, ipse appellat Menippeas'* optimo iure Vahlenus omnes libros rettulit, qui cynicorum mentionem in inscriptione habent (cf. *Ἱπποκύων* et *Ὑδροκύων* iam memorati):

48. Cynicus
49. *Κυνίστωρ*
50. *Κυνοδιδασκαλικός*
51. *Κυνορρήτωρ*
52. *Ταφὴ Μενίππου.*

Quibus addo inscriptionem a me restitutam:

53. Plautocyon.

Deinde, quoniam uersibus pseudotragoedias, logistoricos prosa oratione contineri iam ostendi, omnia, quae continent fragmenta pedestria simul cum poeticis (id quod argumentis per singula fragmenta in altero capite confirmabitur), inter saturas habenda duco. Huc et magnus numerus earum pertinet quas iam enumerauí, et praeterea hae:

54. Agatho
55. Age modo
56. Andabatae
57. Bimarcus
58. Endymiones
59. Eumenides
60. *Γεροντοδιδάσκαλος*
61. *Γνῶθι σεαυτόν*
62. Hercules tuam fidem
63. Lex Maenia
64. Manius
65. Marcipor
66. Meleagri
67. Modius
68. Mysteria
69. *Ὄνος λύρας*
70. Parmeno
71. *Περὶ αἱρέσεων*
72. *Περὶ ἐξαγωγῆς*
73. Prometheus liber
74. Quinquatrus
75. Sexagessis
76. Virgula diuina.

Nonnullas etiam inscriptiones saturis addimus, quod prouerbiis constant, quales in superioribus multas iam

animaduertimus et graecas (no. 1. 9. 15. 19. 29. 30. 31. 43. 61. 69) et latinas (no. 3. 7. 8. 28. 35. 55. 62):

77. Caue canem
78. Cras credo, hodie nihil
79. Idem Atti quod Titi
80. Longe fugit qui suos fugit
81. Pransus paratus
82. Sardi uenales.

Supersunt pauca quorum uel fragmenta extant prosaria, inscriptiones autem eiusmodi sunt, ut inter opera Varronis pedestri tantum sermone scripta non possint pertinere:

83. Aiax stramenticius
84. Baiae
85. Caelebs
86. Hercules Socraticus
87. Oedipothyestes
88. Serapis, —

uel fragmentum sit poeticum, inscriptio autem a pseudotragoediarum genere aliena:

89. Magnum talentum.

Sunt etiam de quibus dubium esse dixi, utrum ad saturas an ad pseudotragoedias pertineant:

90. Aethrio
91. Armorum iudicium
92. Catamitus
93. *Λογομαχία*
94. Pseudaeneas.

'*Tanaquilem*' autem logistoricis addendam uideri Mercklinum secutus supra iam declaraui. Superest 'satura' (ita nominata, si recte emendaui)

95. Burra;

supersunt 96. Praetorina et

97. *Τριπάρανος*,

quae saturis non addo, nisi quia aptiorem eis locum non uideo; superest denique 'Varro *Pappo aut indige*', de quo libro certi nil dici potest, quandoquidem inscriptionem corruptam emendare nondum contigit; logistoricis tamen nisi mutatione nimis uiolenta non potest adscribi. *Ecclesiam*

Vahlenus analectis Nonianis p. 9 e saturis extrusit; extrudatur etiam Fulgenti impostoris fraus, qua *Mystagogos* Varronis inuenit fragmentoque donauit, quod Varroniano dicendi genere prorsus eget. Denique *epistulas Latiniae* uel *epistulam Latinam*, duos minime libros amplectentem, quod opus Mercklinus quaestionibus Varronianis p. 13 et mus. philol. XII 387 saturis uindicauit, nolo ex epistularum numero eximere, cum fragmenta[1]) et allocutiones et scribendi genus uere epistulare ostendant; quae tamen inscriptionis sit ratio cum Ritschelius l. c. p. 538 sqq. omnibus diligentissime perpensis noluerit decernere, nos quoque, praesertim cum nil faciat haec quaestio ad rem nostram, in medio relinquemus.

Iam postquam saturas enumeraui, eo transgrediar, ut de illis inscriptionum partibus, quae incipiunt uoce περὶ, dicam quid sentiam. Eis enim quamquam ita usus sum ut saturas esse dicerem, quibus libris essent inditae, non tamen ab ipso Varrone inuentas, sed a posterioris aeui grammatico impositas esse puto. Qua de re cum alio loco[2]) accuratius disputaturus sim, hic tantum capita quaedam argumentationis repetam. Secundarum igitur inscriptionum, quas in triginta quattuor libris i. e. in tertia fere saturarum parte legimus, Nonius in primo quidem et secundo et sexto libro maximam partem ita a saturis singulas inscriptiones habentibus segregauit, ut appareat, e duobus diuersis fontibus eum saturarum ad utrumque genus pertinentium notitiam hausisse. Praecipue autem inde elucet, duas saturarum unius tituli collectiones ei (siue auctori eius) usurpatas fuisse, quarum altera constitit (et hoc quidem plurima

1) Fragmentorum hic conspectum dabo. Nonius p. 141: 'Varro epistula latina: *si uenisses Capuam, quod et pueros minutos uides libenter et maioris animaduertere non uis*'. — Idem p. 419: 'Varro . . epistulis Latiniae: *si te in libertatem uindicare non potes, feres fortunam*'. — Idem p. 121: 'Varro epistula latina libro II: *nunc (I inuoc* libri) *cum amicorum domus fumat, hilaresco*'. — Idem p. 473: 'Varro epistula latina libro II: *tuum opus nemo imitare potest*'.

2) Cf. Symbola philol. in honorem Fr. Ritscheli conlata, fascic. II.

ex parte certissimo ordine) saturis Marcipore, Andabatis, Mysteriis, Agathone, Quinquatrubus, Endymionibus, Virgula diuina, *Γεροντοδιδασκάλῳ*, Parmenone, Hercules tuam fidem, Meleagris, *Ταφῇ Μενίππου*, Sesqueulixe, Sexagessi, *Γνῶθι σεαυτόν*, Eumenidibus et incertae sedis Lege Maenia, altera uero Bimarco, Hercule Socratico, Manio, Modio, *Ὄνος λύρας*. Tertiam autem seriem nonnullis locis deprehendimus saturarum binis inscriptionibus insignitarum, quarum memoria cum non tam frequens sit, hoc unum affirmari potest, Flaxtabula, Deuictos, Aborigines, Est modus matulae hoc sese ordine in Nonii fonte excepisse. Cf. disputationem meam supra memoratam et praecipue tabulam additam, qua Nonii compositionem illustrare temptaui. Nonius igitur fontibus usus est partim qui saturas uno nomine afferrent, partim qui duobus. Sed hanc posteriorem partem titulos ab ipso Varrone alienos laudare luce fit clarius testimonio Gellii, scriptoris in titulis librorum quos ipse inspexit describendis inprimis fidi et integri (cuius fidem nuperrime Mercklinus 'die Citiermethode sqq. des A. Gellius' p. 681 sq. laudibus extulit), qui inter decem quas profert saturas nullam duarum habet inscriptionum, ita ut neque *Σκιαμαχία* alterum illud *περὶ τύφου* neque — quod summi momenti est — Testamento (quam saturam suis se oculis '*hodie*' inspexisse testatur III 16, 13) Nonianum *περὶ διαθηκῶν* addiderit. In huius igitur testimonio stamus alterasque has inscriptiones (quae etiam plerumque nimis serie et fere morose[1]) his libris festiuitate refertis adiectae forent) a grammatico quodam illustri eis saturis, quas forte nancisci poterat, explicandi causa adscriptas credimus. Quinque quidem saturis (nisi forte illa trium librorum *περὶ χαρακτήρων* a Charisio memorata alteram habuit inscriptionem praecedentem a Charisio omissam, ut *π. χαρ.* grammatico debeatur, quem ante finem iam saeculi p. Ch. secundi tunc statuendum erit uixisse) ipse Varro titulos *περὶ* uoce incipientes — his autem nullos

1) Monstrum paene inscriptionis hoc ipsum Testamentum praebet, si ei additur *περὶ διαθηκῶν*.

alios — dedit; sed in tanta inscriptionum uarietate si tales quoque aliquando sibi indulsit, iocosam ibi magis philosophorum Graecorum imitationem quam seriam argumenti describendi accurationem agnoscemus.

Paucae nunc restant inscriptiones quae curiosius examinandae sunt. Primum '*satira Menippea quam de officio mariti scripsit*' (Gellius I 17, 4) cum a Mercklino l. c. p. 378 et Vahleno coni. p. 193 sq. anal. Non. p. 28 pro eadem sit habita atque *Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα, περὶ καθηκόντων τῶν γεγαμηκότων* siue *π. καθηκόντως γεγ.* (de quo titulo u. adnot. ad hanc saturam), Vahlenus ipsa quoque inscriptionis uerba a Gellio e graecis esse conuersa dicit. Sed nolo quidem premere neque harum inscriptionum rationem fundamento librorum ualido niti neque *περὶ καθηκόντως γεγαμηκότων* (alterius enim illius inscriptionis graecitatem Buechelerus mus. philol. XIV 452 recte improbauit) uerti potuisse 'de officio mariti'; sufficiat potius monuisse, Gellium, quem saturarum nomina accurate ceteroqui rettulisse scimus, inscriptionem hoc loco ipsam reddere non potuisse (nam si potuisset, profecto non partem tituli uertisset, sed ipsum et quidem totum scripsisset), sed dedisse quod in fonte suo inuenerit. Quem fontem hoc capite aliquem librum moralem dico fuisse, nec multum a uero aberrabimus, si incertam tituli obscuritatem cum accurata 'satirae Menippeae' mentione ita componemus, ut inter capita eius libri unum fuisse '*de officio mariti*' censeamus, in quo cum aliorum fortasse loci scriptorum tum '*Varronis in satira Menippea*' alicuius praecepti probandi causa positi fuerint. Vtrum igitur fragmentum illi saturae an cuilibet alii sit adscribendum, id ne coniectari quidem nunc poterit. Deinde '*Varro de nomismatis*' a Prisciano l. VI p. 209 laudatus, cum fragmentum ibi positum de libro seriae doctrinae cogitare non sinat, ad Octogessem saturam referendus est, cuius alteram inscriptionem *περὶ νομισμάτων* Priscianus siue qui ei auctor erat iam additam inuenit et — parua enim omnino illius in inscriptionibus fides est — latinum in sermonem uertit: cf. Oehlerus p. 74. Mercklinus l. c. 377 sq. et philol. XIII 717. Porro Philargyrus in Verg.

Georg. II 336 Varronem affert '*in satura quae scribitur de salute*', quam Vahlenus p. 197 eandem dicit atque Manium saturam, propterea quod et Manii extet fragmentum '*nec natus est nec morietur*' et in illa satura '*mundum haud natum esse neque mori*' Varro narrauerit; quare (quamquam dubitanter) Manio adiunxit *περὶ σωτηρίας*, quod Philargyrum latinum putat fecisse. Hoc autem accipere ne nobis concedamus, ipse Nonius efficit, qui cum uicies septies Manium afferat, hoc uno constanter nomine utitur; nos autem hoc non principali solum sed praeter unum Charisii locum unico secundarum inscriptionum fonte orbati, nisi summa cum temeritate tale quid statuere non possumus. Mundum etenim uinere in aeternum Varro si credidit, procul dubio non in duabus tantum saturis docuit, quare quam potissimum scholiasta respexerit (nam *de salute* a ceterarum inscriptionum ratione nimis remotum uidetur; quamquam neque talem unquam adhibere eum potuisse quis tandem compertum habet?), id non potest decerni; eandem autem rationem quam in inscriptione *de officio mariti* explicanda ualere supra dixi, hic quoque optime ni fallor adhibebimus. Denique dicendum uidetur de libro '*de compositione saturarum*', quem saturis haudquaquam titulus, sed fortasse fragmentum uindicat a Nonio p. 67 seruatum '*parectatoe adsunt mulierque mulier Venus caput*'[1]) in quo per corruptionis tenebras sermonem tamen saturis proprium et fortasse etiam formam metricam dispicere licet. Verum nimium inscriptio obstat, seruata illa a Nonio, qui Varroniana saltem satis accurate inducit,[2]) quaeque saturam nullo modo indicare potest. Fortasse in hoc quoque libro, ut saturarum compositionem demonstraret, uersus prosamque miscuit unum-

1) '*mulierque et Venus*' Perottus Cornucop. p. 726; '*parectatoe adsunt: mulierem Venus capit*' legendum puto. Ceterum cf. appendix huius editionis.

2) Non debuit Ritschelius de logistoricis p. XIV hac quoque in parte Nonio diligentiam abiudicare, qui e. c. librorum quos duobus titulis insignes putauit, nonies tantum alteram omisit inscriptionem, cum 149 locis eos commemoraret, quique Andabatas uerisimilius quam Priscianus Andabatam affert.

que forte e uersibus fragmentum remansit.[1]) — Verbo postremum commemorabo Mercklini commentum qui omnibus saturis a Varrone duos titulos, quorum alter uoce *περὶ* inceperit, impositos esse mus. philol. XII p. 372 sqq. monstrare aggressus est, quare partim inscriptiones adhuc extantes ita inter se sociauit, ut euadant saturae Sesqueulixes *περὶ αἱρέσεων*, Sexagessis *π. ἐξαγωγῆς*, Nescis quid uesper serus uehat *π. ἐδεσμάτων*, partim nouas inscriptiones animi causa finxit, ut *περὶ θήρας* Meleagris, *π. τρόπων* Bimarco (cuius fg. III nimis serio utitur), *π. σπουδαρχιῶν Ταφῇ Μενίππου* (quam philol. XIII p. 724 ipse reiecit) adponeret. Haec Vahlenus p. 198 sqq. copiosissime refutauit, quamquam copiose singula refutando uix opus erat, cum tota res nullo neque externo librorum testimonio neque interna probabilitate (quam ne Mercklinus quidem demonstrauit) nitatur, sed tantummodo pro praeiudicata opinatione habenda sit, quam si acciperemus, Gellio quoque nomenclatori accuratissimo — ut ipse Mercklinus l. c. p. 44 indicat — haec fidei gloria prorsus euanesceret.

Postremo quaerendum est, quibus temporibus saturas Varro scripserit. Nam breui aliquo temporis spatio ne Varronem quidem *τὸν βιβλιακώτατον* (Plutarchus Romuli c. 12) libros CL conscripsisse ueri simile est. Talis autem generis libros utique probabile est eum, simul atque conscripsit, statim in publicum emisisse; id quod disertis uerbis de *Τρικαράνῳ* Appianus de bell. ciu. II 9 significare uidetur. Quare Krahnerus, qui de Varr. philos. p. 11. Varr. Curio p. 18 saturas eum uno partu edidisse coniecit, errare putandus est. Testimonium quidem temporis unicum extat de *Τρικαράνῳ*, qui a. u. c. 694 uel statim postea scriptus est, cf. Appianus l. c.: nam quae Oehlerus p. 46 sqq. praeterea excogitauit, nugae sunt, licet G. Boissier in libro eleganti magis quam elaborato, quem academia Parisiensis a. 1859 pretio donauit, cui inscripsit ‘Étude sur la vie et

1) Hunc librum eundem esse atque *Κυνοδιάδσκαλον (-λικόν)* infelicissime Krahnerus diar. antiq. litt. 1852 p. 394 coniecit. Saturam esse Vollbehrius quoque putauit ibid. 1847 p. 521.

les ouvrages de M. T. (sic) Varron', ea p. 39 appellarit 'd'ingénieuses conjectures'. Ἱπποκύνος enim fragmentum '*Apollonium ideo excuriant, quia nihil habebat*' non illustratur epistula Ciceronis ad Att. IV 7, 1, qua scribit: '*de Apollonio quod scribis, qui illi di irati! homini Graeco, qui conturbare quidem putat sibi licere, quod equitibus Romanis: nam Terentius suo iure.*' Nam Apollonius ille non excuriatur, sed ipse nescio quid conturbat; atque si etiam excuriatum illum Atticus forte scripserat (de qua re nil apud Ciceronem), non quia nihil habebat, sed quia conturbauit, hoc factum fuerit. Non autem facilius quam Ἱπποκύνα Serranum anno suo attribuemus; nullus enim Attico locus[1]) fg. VI, e quo nomine Oehlerus tempus quaesiuerat, sed Atilio qui uidetur esse Atilius Serranus libro superscriptus, id quod Vollbehrius diar. litt. antiq. 1847 p. 524 recte statuit. Omnino autem insanit Oehlerus, ubi ex frg. inc. XII tempus eius definire audet. Primum enim sola uerba '*hirundinibus hospitis*' (cf. fg. inc. XIII) ad Varronem ibi referri Krahnerus Varr. Curio p. 20 perspexit; sed fac ut tota sententia ex Varrone deprompta sit, quid inde efficietur, nisi scriptam esse postquam praedonum maritimorum uastationes iam inceperunt? poterat igitur et ante et post Pompei bellum piraticum conscribi, omnibusque Varronis uitae annis eodem iure tribuetur. — Hoc unum statuere licet, aliquantum iam temporis ante a. 709 eum saturas reliquisse, quo anno Cicero Acad. I 2, 8 eum saturas '*uetera sua*' dicentem induxit: sane tunc septuagenario iam maior erat. Inter postremas pertinuit fortasse quam sexagenarius uidetur scripsisse, Sexagessis, cf. Mommsenus Hist. Rom. III p. 594 not.: 'die Skizze gleicht der catilinarischen Zeit, kurz nach welcher (um 697) sie der alte Mann geschrieben haben muss,' cui si ex indolis similitudine concludere uelis, Γεροντοδιδάσκαλος fere aequalis erat. Manium denique

1) Qui si inesset, post a. u. 689 librum conscriptum esse sequeretur, quo anno Atticus Romam migranit, quare '*in curiam lectus*' esse non potuit antea. Sed '*cura macescere*' in senatu illius non fuisse bene scimus, cf. Nepos Att. c. 6.

cum scriberet, alia eius in uulgus iam nota erant; iam enim 'libellionis' fama fruebatur, cf. fg. V. V. etiam adn. ad *Κοσμοτορύνης* fg. VI.

Haec de saturis dicenda erant. Quae quoniam fato miserabili prorsus nobis interierunt, restat quaerendum, quousque et a quibus hominibus lectae sint, cum ipsius rei causa, tum ut cognoscamus, unde notitiam earum traxerint, qui minuta illa frustula nobis seruarunt. Aliam enim fuisse saturarum sortem quam doctrinae Varronianae non difficile intellegitur, quae omnibus Romanorum saeculis diligenter a uiris doctis tractata est. Saturas autem omninoque poetica Varronis opera e memoria hominum mox euanuisse[1]) luculento testimonio possum comprobare. Nam ipsius quidem tempore notae erant, ut e Ciceronis Academicorum initio apparet; cf. etiam de ling. lat. VII 3 = Sexag. fg. I; etiamque Horatius, cum pugnandum ei esset aduersus eos, qui uetera tantum carmina probabant, Varronem, ut recte Bergkius de rel. com. Att. ant. p. 146 sq. Ritschelius mus. philol. VI p. 493 not. suspicantur, quamquam doctrinae illius summae reuerentia eum non nominat, tacite tamen intellegit. Nec sine causa ille inter saturae Lucilianae scriptores Varronem alterum ubi nominat (serm. I 10, 46), Atacinum cognomen adposuit, ut errorem ab initio praecideret, quo Reatinum quis intellegendum putaret, cuius saturas Menippeas etiam tunc notas fuisse inde apparet. At postquam noua Augusteae aetatis poesis inclaruit et amoenioris elegantiae gratia animos tenuit, nullus

1) Agnoscitur haec famae differentia uocibus, quibus praedicandi causa eum insigniuerunt. Appellatur enim saepe doctissimus, eruditissimus, curiosissimus, peritissimus; 'paene omnia tradidit' (Quint. XII 11, 24); 'doctrinarum columen' (Gell. XIX 14, 1); 'Romanae eruditionis parens' (Symm. epp. auct. 2); '*διδασκαλικώτατος*' et '*πολυμαθέστατος*' (Lyd. de mag. I praef. I, 5); '*βιβλιακώτατος*' (Plut. Rom. 12); saepe etiam 'philosophus' dicitur, quod cum ad logistoricos tum magis etiam ad rerum diuinarum libros pertinet; cf. Hieron. chron. ol. 166, 1. 188, 1; Serv. ad Aen. VI 732; Apul. de mag. 42; Plut. Rom. 12; App. bell. ciu. IV 47 (cf. etiam p. 16). 'Poeta' autem semel tantum (Hieron. chron. ol. 166, 1) nuncupatur; cui addantur loci quibus Menippeus appellatur cf. p. 8; sed tamen alii illi multo hos superant.

erat poetae uetusto locus relictus. Hoc clare puto ostendunt Propertius, Ouidius, Seneca, qui ubi Varronem Atacinum, poetam Varroni aetate subparem, sed ita elegantem ut cum Ouidio comparandus sit, nominant, 'Varronis' simpliciter nomine designant; non enim iam cauendum eis erat, ne quis Reatinum falso intellegeret, quem nemo nouit; cf. Propertius II 34, 85. Ouidius amor. I 15, 21. ars am. III 335. Seneca contr. XVI extr.[1]) Quod cum ita sit, apud Velleium quoque (II 36), qui aeuo Ciceroniano dicit floruisse '*auctores carminum Varronem ac Lucretium neque ullo — minorem Catullum*', de Atacino cogitandum suspicor; quamquam, cum alterutrum Varronem prorsus ab illo praetermissum esse non fortasse probabile sit, equidem non repugnabo si quis *m* littera in *ſſ* mutata '*Varrones duos*' legendum contendet.[2]) In iudicium etiam uocandus est Florus Horati amicus, de quo Porphyrio in Hor. epist. I 3, 1 '*hic Florus fuit saturarum scriptor, cuius sunt electae (sublectae* Casaubonus l. c. p. 230. *electa* Ritschelius l. c. p. 493) *ex Ennio Lucilio Varrone saturae,*' quem Roeperus philol. XVIII p. 426, perperam incredulus, Hadriani aeuo tribuit. Nam hos tres scriptores, qui fere pari obliuione tunc temporis (nimirum diu postquam saturas Horatius scripsit) premebantur, Horati amicus, quamquam non pro optimis eos habuisse putandus est, tamen quadamtenus in memoria manere cur non potest uoluisse? Parem autem sortem hos tres passos esse cum oporteat, non tamen decerno utrum Reatinus a Floro an Atacinus tractatus sit; nam etiam Atacini, scriptoris tunc Argonautico carmine notissimi, saturae tamen iniquam mox sortem nactae esse uidentur. Vtrum igitur hae an Menippeae an Reatini 'satirarum libri IV' Floro cordi fuerint quis decernet? Menippeae

1) Seruius sane et Isidorus aliam ob causam Atacinum cognomine a Reatino distinguere omiserunt, scilicet quod duos Varrones fuisse hi magistelli ne compererant quidem.

2) Noli autem hunc locum cum Quintiliani Lactantiique sententiis componere, de quibus p. 16 dixi; in illis enim uersus qui afferuntur cum de sapientia sint, ad Menippeum — sed dixi, qua ratione — referendi sunt; nostro autem loco 'carmina' simpliciter laudantur.

autem obscurae manebant et absconditae et per totum saeculum primum p. Chr. rarissime commemorantur.[1]) Seneca quidem *Ἀποκολοκυντώσει* sua, quam satiram libri nuncupant, Varroniani generis formam externam quodammodo imitatur praecipue inscriptione faceta et pedestri sermone cum uersibus mixto (Menippeum autem nomen ab ea abstinendum esse p. 19 sq. monstraui);[2]) sed is unus est qui Varronis saturas uel fortasse nouit. Plinium (H. N. praef. 24), qui omnia perscrutatus est, inscriptiones duas horum librorum proferre, non multum ualet; Quintilianus autem (u. p. 16) saturas uix inspexit, certe non accurate cognouit. Eius autem tempore noua litterarum latinarum aetas incepit: iam erant '*quibus eloquentia Aufidii Bassi aut Seruilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet*' (Tac. dial. c. 23), iam M. Valerius Probus uetustorum scriptorum amorem excitabat, ut '*contemni magisque obprobrio legentibus quam gloriae et fructui esse*' (Suet. de gramm. c. 24) desinerent: Hadriano denique imperante, qui foede adhuc neglecti erant, primum in Romanorum studiis locum obtinuere. Tunc Menippeae quoque non sedule tantum a grammaticis lectitabantur, sed in omnium ore uersabantur; cf. Gellius XIII 31. Quae res, cum Frontonem earum nullam facere mentionem, nisi ubi a Gellio XIII 29 sermocinans inducitur, satis mirum sit, Gellii exemplo optime

1) Nil sane hic refert, quod Terentianus Maurus metrica quaedam e satira hanc artem tractante excerpsit; quam fuisse *Κυνοδιδασκαλικόν* ex Atilio Fortunatiano comperimus, qui eadem dicit.

2) Sic Petronius quoque in fusa narratione sua cui itidem 'satirarum' nomen inditum est, utrumque sermonem commiscuit; sed Varronianam imitationem in opere ceteroquin tantopere ab illis diuerso minus etiam quam apud Senecam agnoscimus. Versus praeterea inseruerunt, ut breuiter hoc indicem, Apuleius, Martianus Capella, Boethius, Aquilius Seuerus (cf. Hieronymus de uiris ill. c. 111 '*Aquilius Seuerus in Hispania — composuit uolumen quasi ὁδοιπορικόν totius suae uitae statum continens tam prosa quam uersibus* (*τοῦτο μὲν καταλογάδην, τοῦτο δὲ καὶ μέτρῳ ἡρωϊκῷ* Sophronii uersio), *quod uocauit καταστροφήν siue πεῖραν, et sub Valentiniano obiit.*' Quamquam hoc quoque his uerbis potest indicari, duas eum recensiones edidisse, alteram pedestrem, metricam alteram).

illustratur, cuius iam unus locus (III 16, 13) '*hodie quoque in satura forte M. Varronis legimus*' sqq. Roeperum debuit dehortari, ne saturas ipsas a Gellio nunquam lectas esse philol. IX 225 inepte contenderet. Grammatici autem cum alias ob causas eum lectitabant, tum ut uerba obsoleta uel significationes uerborum insolitas uelut e thesauro opulentissimo inde conquirerent (difficilia eis intellectu infuisse e Gellio XIII 31 discimus) eaque in glossariis suis uario modo institutis componerent; sed et ipsas saturas explicandi causa commentariis instruxerunt breuibus, e quibus glossae paucae quae in uerba Varronis irrepsere, profectae uidentur (cf. Agatho V. Dol. aut. ser. I. Sesqueul. X. Sexag. II. XIV. *Ταφὴ Μεν.* X. Eumen. XXVIII). Ex his grammaticorum Antoninianae aetatis thesauris omnia fere deriuata sunt quae hodie Menippearum fragmenta extant. Hinc Charisius Diomedes Priscianus grammatici alii suo quisque modo pendent; hinc, quod summum est, Nonius Marcellus, grammaticus Gellio aliquanto recentior compilando opus suum composuit quod longe plurimam fragmentorum partem continet. Ex illo enim quem p. 44 adtuli conspectu hoc elucet, partim Gellium librosque eius similes, partim ipsos scriptores antiquos commentariis instructos (nam Nonius quidem indoctior fuit, quam qui explicationes ab eo prolatas ipse inueniret), partim glossaria (quorum unum repperi quod uerba a scaenicis adhibita, alterumque quod aduerbia tantum continuit) a Nonio usurpata esse. Tertio saeculo harum litterarum amor rursus euanuit Varronisque saturae in tenebras recesserunt, et praeter Censorinum, qui Varronianae doctrinae praeco etiam saturas quamquam nomine nusquam prolato in usum suum uertisse uidetur (cf. p. 27), uni fortasse Martiano Capellae notus erat, cuius opus et 'satira' inscriptum et prosa uersibusque confusum est; quamquam quae quidem Krahnerus de Varr. philos. p. 22 de usurpato in libro de musica *Ὄνῳ λύρας* statuit, ea cum ne una quidem apud utrumque pariter scriptorem sententia inueniatur, nequaquam certa sunt. Macrobius quoque qui raro saturas affert, cum partem horum locorum Gellio debeat, alteram quoque non ex ipso Varrone hau-

sisse credendus est. Ecclesiastici denique scriptores, qui alia quaedam Varronis opera strenuis manibus uoluebant, saturas fere ignorabant, quarum mentio quattuor tantum locis apud Tertullianum et Arnobium, et ut uidetur Augustinum tralaticia quadam memoria facta est (cf. fgg. inc. XI—XIII); cum logistoricos tunc temporis adhuc in usu fuisse et Augustinus doceat qui Curionem pertractauit accuratissime et Sidonius Apollinaris epp. VIII 6 ad Nammatium scribens '*Varronem logistoricum sicut poposceras et Eusebium chronographum misi.*' Qui uero sententias Varronis quae dicuntur collegit, cum — si quidem recte de eis in praefatione dictum est — saturas quoque aliquas excerpsisse est ueri simile; nil autem ea re nos proficere fatendum est, cum tempori cuiuis inter Varronis fere ipsius aetatem et annum p. Chr. 529 cum adtribuere liceat. In uniuersum autem hoc affirmandum est, Menippeas et propter difficultates uerborum et in pedestribus quidem partibus propter simplicitatem dicendi, quae postquam rhetorico flosculorum tumore abstinere scriptores plerique desierunt pro exili ariditate habebatur, in multorum manus nusquam uenisse codicesque earum paulatim imminutos postremo omnino euanuisse, ut Gregorio aliquo pontifice maximo qui eos deleret (cf. Oehlerus p. 4 not.) uix opus fuerit.

CAPVT II

Periculosae plenum opus aleae cum nunc in me suscipiam, ut utra saturarum frustula hodie extantia poetico, utra pedestri sermoni adscribenda sint, non sensu quodam ductus uario et instabili, sed certis ratiocinandi praesidiis utens ad finem quantum possim perducam, quam arduam et difficilem rem aggrediar ipse profecto haud ignoro. Scio quidem, ipsa re excusationem mihi esse paratam, cum qui primus rem aliquam inlustrare incipiat, eum non omnia statim recte persoluturum esse omnes et sciant et ignoscant; magis autem inde animo firmor, quod uiarum quascunque aliqua cum utilitate iniri posse speraui, earum nullam intemptatam reliqui, sed suos ex omnibus fructus (e quibusdam tamen nullos[1])) rettuli. Quare fit, ut aliis post me singula non defutura credam, quae melius instituant, in uniuersum autem meas rationes probatum iri non sine fide sperem, quamquam omnium, qui adhuc hanc prouinciam intrarunt, unum Buechelerum in eis quae passim de hac re in mus. philol. XIV 419—452 disseruit. rectam uiam iniisse et plerumque seruasse uideo. Nulla uero (nam hoc quoque praemittendum est) hoc capite cum Roe-

1) Nihil e. c. illud ualet quod Buechelerus l. c. p. 432 adhibet, ubicunque alliteratio quae dicitur inuenitur, fragmentum metris] describendum esse. Aperte enim prosaria esse e sequentibus elucebit Longe fug. q. s. f. fg. II, Man. fg. XIX, *Κοσμοτ.* fg. I, in quibus quaterna uerba eisdem literis incipientia se excipiunt. Seuerior etiam ero, quam qui, quod ille facit p. 432. 434, cf. Vahlenus conii. p. 40. 109., fragmenta, quia aliis quae uersibus fuerint composita in satura uicina fuisse uideantur, itidem in metra redigam: ego potius unamquamque sententiam ex se ipsa diiudicandam in ipsaque inueniendum quod suo eam sermoni tribuat, unice rectum et utile arbitror.

pero mihi erit controuersia, quippe qui p. 15—19 iam putem argumentis declaratum, in saturis prosarium poeticumque sermonem coniunctos esse. Quorum iam inter se coniunctorum indolem demonstrare temptabo.

Omnium librorum quotquot e graeca latinaque ad nos antiquitate peruenerunt, in quibus prosae poeticaeque orationis inest coniunctio, ea est condicio, ut maiorem uel adeo maximam partem pedester sermo obtineat, poesis autem nonnisi locis eis, quos ad expoliendum aptissimos scriptor (uel recte uel perperam) existimabat expoliendis et quasi gemmis splendentibus exornandis adhibita sit.[1]) Veram igitur hi scriptores sermonum diuersitatis naturam probe perspexerunt. Omnibusque eis locis quibus poeticam adhibendam duxerunt, hoc inprimis sectabantur, ut uerba quibus uterentur a pedestrium partium sermone clare differrent. Legas quaeso quoscunque uis — sola Martiani Capellae, hominis insani, tintinnabula excipio — semper cognosces, etiam locis corruptis, utri sermoni sententia tribuenda sit. Eandem igitur rationem Varronem quoque secutum esse, qui non barbarum illum et excordem haberi uolet, facile concedet, praesertim cum non hoc solum de eo dicendum sit quod de illis, eum benigna naturae indole quomodo uersibus sit scribendum discernere potuisse, sed ipsius quoque testimonium habeamus, quo scimus eum uel metrorum singulorum proprietatem perscrutatum esse, cf. *Ὄνος λύρας* fg. XV:

Maerentis ut quietus ac demissior probandus,
Ἀχιλλέως ἡρωϊκός, Ἰωνικὸς κιναίδου,

etiamque arte et ratione eum aptissimam saturarum com-

1) Buecheleri descriptionem, qui p. 426 prosam in Varronis saturis humani corporis ossibus, carni carmina inserta comparat, ceteroquin aptam, non tamen huc quoque ualere puto, ut poesi maius spatium quam pedestri sermoni concedatur. Nam quod ille l. c. dicit, quartam tantum partem locorum seruatorum pedestri oratione scriptam esse, id neutiquam concinit cum rationibus, quibus ductus nonnullos locos alterutri sermoni hic illic recte adtribuit, quae non ad aliud possunt ducere, quam ut circiter bina inter quina fragmenta uersibus donentur.

positionem indagasse liber eius '*de compositione saturarum*' monstret, quo et Menippearum alteriusque saturarum generis discrimen, et ipsarum potissimum rationes descripsit; cf. p. 46 sq. Itaque prosariis eum uerbis in sermone pedestri, poeticis in poetico usum esse iam ab initio affirmare possumus rectissimeque Buechelerum p. 428 scripsisse putamus: 'es gebietet methodische Kritik erst dann Metrum anzuerkennen, wenn bestimmte Kriterien poetischer Abfassung vorliegen.' — Accidisse autem illi, quod aliis quoque scriptoribus accidit, ut inuito ipso uersus aliquando in prosariis quoque euaderent, quid mirum est? Et exempla quidem apud illum ita sunt frequentissima, ut hosce primo obtutu ex primo rerum rusticarum capite collegerim tetrametros trochaicos: 'Réferam sermonés eos, quos de ágricultura hábuimus' et 'nóbis ex aliquó portento; mé ne dum uiuó quidem'; senarios 'agrículturae caélo et terra cóntinent' et 'secúndo Solem et Lúnam, quorum témpora': choliambum etiam 'desíderamus quíd faciendum sít nóbis' et sotadeum 'quó nomine rústica Vinália institúta'; porro seriem dimetrorum anapaesticorum 'Nostrís; qui graece scripserunt Dispérsim alius de aliá re sunt Plus quínquaginta; hi súnt quos tu' et e capite quarto pentametrum 'quód deléctat néc nón ea quaé faciúnt', quibus finem tandem imponat hexameter (III 3, 2) 'súnt et habént inclúsa animália, quaé pascántur' et minima mutatione effectus (III 16, 26) 'éx aliá contrá spissum ést ('ut' libri) e róre maríno.' Nugae sunt haec omnia, nugae;[1]) nolui autem eas retinere, ut monstrem quam falsam ingressi sint uiam, qui omnia quae uel sponte uel leues post mutationes metris inici possunt, propterea iam uersus esse Varronianos uoluerunt: id quod in Vahleni, Ribbecki, L. Muelleri laboribus haud raro animaduertere licet. Quorum unus ille quem postremo loco

1) Notabilem hercle et laboriosam operam his nugis dedit Desbillons, quem librum Varronis de lingua latina quintum in uersus senarios totum uertisse in actis philol. Mannhem. 1839 p. 113 legimus. Hunc igitur cum uiolentis mutationibus uersuum causa factis non abstinuisse consentaneum sit, Roeperiani operis *ἀρχηγέτην* oportet praedicemus.

nominaui argumentis hanc rationem ita confirmare studet (De re metrica poett. lat. p. 83 sq.): 'etenim quod suarum et Lucilii saturarum proprium esse testatur Flaccus, si tempora certa ac modos dempseris uerbis, non iam inueniri quasi frustula poetica, id longe magis ad Varronem pertinet — — itaque siquid erit humile et solutae orationi aptum, non sequitur certo id non contineri uersibus. sed alia praeterea non minor difficultas inde nascitur, quod Varronis tempore noui moduli exorta arte cum pleraque ueteribus intemptata aggrederentur poetae Latini, illud accidere oportebat quod semper fit in re simili, ut animi inusitata uoluptate capti nimisque indulgentes iucunditati incogniti carminis non satis curarent illud, quid pedestri potius quam poeticae conueniret orationi.' Huic Muelleri sententiae hoc quidem uerum inest, res nonnunquam mediocres nec poesi aptas uersus Varronis continere, quas tamen poeticas esse scriptor perperam putauit; eo magis autem uerborum ubique tumorem artemue quaerebat, qua adhibita poetam se euasurum, cum genuinus sane Musarum alumnus uix fuerit, temere sperabat. Porro autem ea re a ceteris eius aeui poetis diuersus est, quod quae a poetica elatione aliena esse cognouit, ea pedestribus suis partibus poterat inserere; quare iam accipiendum est eum, quae uersibus uoluit exprimi, pro poeticis uere habuisse uerbisque ideo poesi conuenientibus elocutum esse. Quare de poetica quidem Varronis uirtute iudicabis utcunque placebit; sed id ipsum ex illis concludimus, posse nos ex uerborum ratione, qua utitur, intellegere, sintne loci in metra coacti an non. Ita Andabatarum fragmenti VII quod Muellerus p. 84 affert

'Cándidum lacte é papilla cúm fluit, signúm putant
Pártuis, quod hic sequatur múlierem e partú liquor'

sententia sane est admodum mediocris et humilis; quisnam uero lactis epitheton '*candidum*' in prosario sermone adhibuisset? quis non '*e papillis*' dixisset? quis uerba '*hic liquor*' tam procul inter se segregasset?[1]) Itaque in in-

1) De hac uerborum collocatione infra agam.

quisitione, quam nunc aggredior, multo minus hoc eri respiciendum, num sententiae sint uere poeticae — nam carminibus res tantum uere poeticas describere Varronem nequaquam quidem dubium est describere uoluisse, sed bene has discernere non ubique uidetur potuisse — quam alterum illud, num uerba artem redoleant poeticam; omniaque fragmenta quorum uerba tali arte carent, inter pedestria referenda erunt; contra ubicunque haec ars inuenietur, ibi uel emendando, si opus erit, metrum instituendum est. Augetur uero etiam probabilitas rationis meae ea re, quod pedestris sermonis Varroniani testimonia extant luculentissima, inter quae praecipue librorum de re rustica dictio plurimam prosariorum fragmentorum similitudinem praebet, uel formulis dicendi eisdem nonnunquam usurpatis. Neque tamen dissimulandum est, uarios esse probabilitatis gradus eamque nonnunquam ut quodque fragmentum est breuius, ita ipsam quoque deminui, ut sint quaedam quae diiudicare omnino non licuerit. Apparet enim, in metricis non unumquodque uerbum poeticum sonare, sed talia per totos sententiarum poeticarum ambitus esse dispersa, ut suo quodam colore eas conspergerent; potuisse igitur fieri, ut minutissima quaedam e uersibus sint seruata, quae poeticis fortasse uerbis fuerint proxima, ipsa autem talia non contineant; nec tamen multa sunt, in quibus haec difficultas oritur. Aliam autem existere difficultatem uerbis aliorum scriptorum siue pedestribus siue poeticis a Varrone inspersis infra demonstrabo.

Iam uero ad poeticum Varronis sermonem recte aestimandum magni est momenti, ut quorum ille scriptorum imitator extiterit consideremus. Habet sane etiam quae ipse nouauit; nam non solum metra quaedam sunt quae primus adhibuisse uidetur, de quibus u. infra, sed multa etiam eius poetica proprietatem quandam habent, qua facile ab aliorum quorumuis carminibus ea dignosces (cf. e. c. *Ὄνος λύρας* I—VIII. Parmeno I. Dolium a. s.[1]), quae ni fallor e quodam uerborum poetice sonantium, plerumque non inscite adhibitorum, nonnunquam autem nimia coacernatione molestorum, uel ad sententias omnino humiliores

quam quae talibus uerbis exprimendae sint, uel non sine quadam doctrinae copia adhibitorum usu prodiit. Haec igitur ratio Varroni uidetur propria; magna autem reliquiarum pars aliorum poetarum imitationem aperte ostendit. Quam quidem, cum hi ipsi plerique nonnisi per singula frustula nobis noti sint, in uniuersum diuinare magis quam apertis uerborum similitudinis uestigiis monstrare licet. Ita tragicum sermonem cum aliis locis tum pulcherrimis uersibus Marciporis fg. II—VI bene aemulatus est, nimiumque etiam quo sermo ille nonnunquam inclinat tumorem Papiapapae fg. I—V recte expressit. Comicorum autem imitationem raro inuenies,[1] neque multo saepius quod equidem miror uersus ad Ennianorum annalium exemplar factos reperimus, quamquam quantopere hos libros Varro adamarit multa testimonia et in aliis libris et in ipsis saturis posita clare ostendunt. Elegiaco quoque metro tam nitide usus est (*Κοσμοτ.* VII. *Ὄνος λύρας* XXII), ut non sine aliquo auctore id fecisse existimandus sit, quem nominare in tanta poematiorum multitudine non possumus. At in hexametris saepius quam Ennianum sermonem Lucilianum imitatur, quare fit ut, quod curatius infra exponetur, humillimi et maxime demissi Varronis uersus inter hexametros quaerendi sint. Praeterea autem non improbabile uidetur, Varronem hominem doctissimum poetas etiam didascalicos, quorum magnus tunc numerus Romae efflorerat, non sine studio legisse in eorumque i. e. Porci Licini, Volcati Sedigiti, Valeri Sorani, L. Atti, aliorum dicendi genus nonnunquam cecidisse, quod quidem in tetrametris trochaicis, quibus illi permultum usi sunt, raro inuenimus, cf. Andab. VII. Bimarc. XXII; saepe autem in hexametris animaduertere licet, cf. Capr. proel. II. Eumen. XVI—XX. *Γεροντ.* VIII. Tithon. III all.; quibus plerumque nescio quae tarda duritas inest.[2] Quid quod ne in distichis quidem elegiacis,

1) Vide quae in hoc capite dixi de Epitaph. I. Eum. I. II. III. XLIV. *Τοῦ πατρ. τ. π.* I. Glor. I. *Κοσμοτ.* IV. Man. XV. XXII. Bim. XVIII. Sesq. V. VII. Myst. III.

2) Horati hexametros nonnunquam in aures uocant. *Ἀνθρ.* II: '*non fit thesauris*' sqq. cf. Serm. I 1, 1: '*Qui fit, Maecenas*' sqq. —

eam quam haec fere ultro nanciscuntur facilitatem saepius quam duobus (u. supr.) fragmentis praebet? rudiuscula enim sunt Eumen. XXVI. XXVII. Marcop. II. Sexag. XI. Sotadicorum deinde uersuum usum ex Enni saturis et Sota Attique Sotadicorum libris a Gellio VI 9, 16 memoratis (quos nullo modo cum Atti Didascalicis coniungendos esse alio loco monstrabo) sibi sumpsit, quos uersus Italica quidem metri licentia, uerborum autem lepore et uenustate omni ex parte laudandis constituit. Rarissime autem cum poetis facit neotericis Alexandrinorum exempla imitantibus (et mirandum quidem est, eum unquam huc se uertisse); neque tamen hendecasyllaborum, choriambicorum, aliorum usum quos paucis locis adhibuisse eum uidemus, aliunde deriuare licet.

Hoc iam apparet, Varronem, qui quidem Romanorum erat doctissimus, non autem poetarum ingeniosissimus, exemplorum potissimum frequentia in carminibus multiformem fuisse. Quamquam igitur sinceram illam ingeni uim, uerae poeseos creatricem, abnuere Varroni coacti sumus, non tamen ea res nobis persuadere potest, ut uirum cui et sensus erat innatus quo Musarum dulcedines perciperet, quas ita alloquitur '*Demitis acris pectore curas cantu castaque poesi*' (Parmeno XII), quique externis artis instrumentis dextero et sollerti animo uti potuit, Roeperiano more quidquid in buccam ei uenerit dementem in longarum breuiumque syllabarum quodcumque artificium coegisse putemus. Sed tamen, licet carmina a Varrone inspersa nequaquam sint contemnenda, multo tamen praeferenda et praestantior est altera 'hilaritatis' ad ipsum saturae argumentum legendum inuitantis pars, quae pedestri sermone narrationes dialogosque faceta cum festiuitate continebat.

Iam tandem ut singula perlustrare adgrediar, duo esse fragmenta praefandum duco, quae uersibus constare certa testimonia extant: *περὶ ἐδεσμάτων* fg. I senariis compositum, quod quidem non suis uerbis a Gellio VI 16 seruatum

---

Σκιαμ. III: '— *parebis legibus an non?*' cf. Serm. II 3, 260: '*agit ubi secum, eat an non;*' II 5, 59 all.

esse dolemus et Desultorii fg. I '*feruere piratis uastarique omnia circum*' quo loco '*breuiato accentu feruĕre*' legendum Nonius p. 503, 13 praecipit; quem locum uel sine hoc testimonio uersibus adnumerandum fuisse infra explicabo.[1]) Nunc uero uersus nullis ueterum testimoniis tutos eruere ita incipiam, ut primum omniumque certissimum hoc indicium proferam, epitheta, quaecunque exornandi tantummodo causa substantiuis sint apposita, fragmenta quibus insint partibus poeticis sine ulla dubitatione uindicare. Quare Andab. fg. VII propter uoces '*candidum lacte*' iam supra poesi addixi, idemque illud '*candidei lactis*' *Γνῶθ. σ.* III poeticum reddit, neque aliter res se habet in '*tepido lacte*' Abor. II. Iam uero ut quam breuissime rem ad finem perducam, locos nullis interiectis ambagibus enumerabo, quos propter epitheta ornantia poeticos esse contendo; qua in re ab Aboriginum illo '*tepido lacte*' incipio. — Aethrio: '*aquatilis querquetulae*' et '*frigidos nimbos caduciter ruentis.*' — Agatho VI: '*multiplici scientia*'. — Age modo I: '*Argo citiremem*'. — *Ἄλλ. οὖτ. Ἡρ.* I: '*grauidaque mater*'. — *Ἀμμ. μετρ.* IV: '*cum rutundis uelitis leues parmis*' et '*quadratis multisignibus tecti*'. — Andab. III: '*uisco tenaci*'. — ibid. VII (u. supra): '*candidum lacte*'. — *Ἀνθρωποπ.* I: '*auarus faenerator*'. — Arm. iud. II: '*digitis primoribus*'. — Bim. XI: '*caelitum altum templum*'. — ibid. XII: '*trisulcum fulmen*' et '*igni feruido*'.[2]) — ibid. XIII: '*magna Roma*'. —

1) Quod enim Gellius XIII 22, 5 etiam *Σκιαμαχίας* fg. I, quod reuera metro constat, ita inducit '*Varro — — dicit in his uersibus*', uersuum genere non addito, id huc ualere nego, cum *Τδροκύνος* quoque fg. aperte pedestre a Gellio XIII 31, 3 uersuum nomine afferatur; quare uersus h. l., ut et alias, simpliciter de lineis codicum intellegendum est.

2) Epitheta nonnulla in paucis nostris saturarum reliquiis saepius inueniri hoc loco commemorandum puto, quae stabili quodam apud Varronem usu fuisse uidentur. '*Igni feruido*' uel '*ignibus feruidis*' legimus Bim. XII. Cras II. Marcip. III; '*lac*' autem (siue *lacte*) '*candidum*' appellatur Andab. VII. *Γνῶθ. σ.* III. Valde amat Varro epitheton '*ferus*', quod appositum est forcipibus Magn. tal. I, manui *π. ἑξαγ.* IV, murmuri Sexag. XVIII, militiae muneribus *Κοσμ.* V; '*can-*

ibid. XX: '*remiuagam celocem*'. — ibid. XXI: '*leuis tipulla*' et '*lymphon frigidos lacus*'. — Caue canem: '*a scopulo lapidoso*'. — Cras cr. h. n. I: '*instabilis animus ardens*' sqq. et '*inconstanti pectore*'. — ibid. II: '*igni feruido*' et '*aquiloniam frigedinem*'. — Cycn. I: '*templa alta fani*'. — Desult. II: '*domini delicias, phaselon*' et '*mobile in fluentum*'. — Deuicti I: '*rutundam cetram*'. — Dol. aut. ser.: '*altitonae flammigerae zonae*' et '*signis stellumicantibus*'. — Ἕκατ. IV: '*sanguine nigro*'. — Endym. V: '*amphoras Chias*'. — ibid. VIII: '*Mercurium Arcadon colonum*'. — Est m. m. II: '*Calenas obbas et Cumanos calices*'. — ibid. VI: '*Ismenias Thebagenes scaturrex*'. — Eumen. XI: '*Neapolitanas piscinas*'. — ibid. XVII: '*eculum Damacrinum*' et '*ex hibernis morbi fluctibus*'. — ibid. XVIII: '*bucinus flauus ahenus*' si quidem ipsa Varronis uerba restitui. — ibid. XIX: '*uino mero*'. — ibid. XXXV: '*non inanis sonitus*' et '*teretem comam uolantem*'. — ibid. XL: '*Naides undicolae*'. — ibid. XLI: '*uenusta muliebri stola*'. — ibid. XLII: '*Aurorae ostrinum supparum*'. — ibid. XLVI: '*fluctuanti intonsa coma*'. — ibid. XLVIII: '*cana Veritas*'. — Ἔχω σε I: '*algu danti frigore*'. — ibid. II: '*aerea terta galea*'. — ibid. III: '*Hibero ex argento graui*'. — Γεροντ. X: '*Libyssa citrus*'. — ibid. XII: '*ampla cella*'. — Γνῶθ. σ. III (u. supra): '*candidei lactis*'. — ibid. VII: '*triuio lumine lunae*'. — ibid. IX: '*ardifeta lampade*'. — ibid. X: '*misellus pauper*'. — Herc. t. f. IV: '*procella frigida*'. — Κοσμοτ. V: '*fera militiai munera*'. — ibid. VIII: '*flamine sudo*'. — Lex Maen. VII: '*Pactolus aureas undas agens*'. — Magn. tal.: '*forcipibus feris*' (hoc epitheton locum reddere poeticum Buechelerus p. 428 iam animaduertit). — Man. III: '*quadrato latere*'. — ibid. XVI: '*Ceres, cibi ministra*'. — ibid. XVII: '*dulcem aquam salubrem*' et '*flebile cepe*'. — Marcip. II:

---

didus', quo describit lac II. cc., calcem Marcop. III, amiculam Prom. X, ephebos Sesq. XII. *Trisulcus* Bim. XII et fg. inc. V, *bisulcus* Prans. II adhibetur. '*Templo alta*' Bim. XI. Cycn. I inuenies.

'*unda liquenti caerula*'. — ibid. III: '*feruidis ignibus*'. — ibid. IV: '*aquali frigido uelo*'. — ibid. V: '*uenti, phrenetici septentrionum filii*'. — ibid. VI: '*bipinnis plumas*' et '*caduci cecidimus*'. — ibid. XVII: '*uirile ueretrum*'. — ibid. XVIII: '*leuis passerculus*'. — Marcop. III: '*a carcere intimo*' et '*candidum ad calcem*. — Mel. VIII: '*ceruum uolabilem*'. — Mod. II: '*spungeam deletilem*'. — ibid. XVIII: '*ad tibios bilinguos*'. — Mut. mul. sc. IV: '*lucus opacus*' et '*teneris fruticibus*'. — Myst. I: '*prisca horrida oracla crepera*'. — Octog. I: '*auida libido*'. —"*Ov. λύρ.* III: '*harmoge aequa*' et '*motibus diis*'. — ibid. VI: '*orthopsalticum psalterium*'. — Papiap. I: '*paruuli intorti sex cincinnuli*' et '*oculis suppaetulis nigelli pupuli*'. — ibid. III: '*refrenato risu roseo*'. — ibid. V: '*collum procerum*' et '*leui marmore*'. — ibid. XI: '*ates gallus*'. — Parm. I: '*lepusculi timentis*' et '*rete nexile*' et '*uiscum fugai lineamque compedam*'. — ibid. III: '*leui nitidus oleo*'. — ibid. IV: '*cauo fonte*' et '*cauata amnium anfracta*'. — ibid. VI: '*ferream bipinnem securem*'. — ibid. VII: '*teneram abietem*'. — ibid. VIII: '*alta fros Palladis*'. — ibid. IX: '*alta traps*'. — ibid. XII: '*acris curas*' et '*castaque poesis*'. — *π. αἰρ.* III: '*apud alta litora*'. — *π. ἐξαγ.* IV: '*fera manu*' et '*feruidos fontium lacus sanguinis*' et '*ferreo ense*'. — Prans. par. II: '*bisulcis ungulis*'. — Prom. lib. I: '*aeratas manuis compedes*'. — ibid. III: '[*artubus*] *exsanguibus euirescat colos*'. — ibid. IV: '*inhospitalis uastitas*'. — Quinq. I: '*absintium grauem*'. — ibid. VII: '*Liberi mollem dapem*' et '*Bromiae autumnitatis*'. — Sesqueul. XII: '*nitidi ephebi*'. — ibid. XIV: '*mollis pilas*'. — ibid. XVII: '*horridus miles acer*'. — ibid. XVIII: '*trossuli nardo nitidi*'. — ibid. XXII: '*caua geloque acri* [*horrida*] *saxa*. — Sexag. XII: '*puellum impuberem*'. — ibid. XXI: '*agilipennis anates tremipedas*' et '[*de*] *nocte nigra*'. — ibid. XXII: '*nitens pauonis collus*'. — Syneph. V: '*ἡ δύπνους Neapolis*'. — Test. I: '*puellus Veneris Adon*'. — Tith. II: '*multicupida iuuenilitas*'. —, *Τὸ ἐπ. τ. φ. μ.* II: '*multunummus piscis ex salo captus helops*' et '*ostrea*

magna captata'. — *Τροιδ. τριπυλ.* IV: '*aruspicem tristem*'. — ibid. V: '*coruscus imber, alto nubilo cadens multus grandine implicatus albo*'. — Virg. diu. II: '*pullos fritinientis*'. — ibid. IV: '*libamenta caduca uictus*'. — ibid. V: '*uolucris pusillos*'. — Incert. V: '*trisulcae fores graues*' et '*turbines tardos*'. — ibid. XIII: '*uer blandum*' et '*hospes hirundo* (cf. ibid. XII). —

Iam inter haec epitheta multa sunt uocabula, quae etiam si per se spectantur non possunt nisi in poetico sermone adhiberi. Quamquam discernendum est inter uarios scriptores uariasque aetates, cum argenteae iam quae dicitur aetatis scriptores magisque etiam Apuleium posteriosque in prosarium sermonem multa sumpsisse constet, quae antea ab illo aliena fuerant. Sin uero Ciceronem, qui quidem ipse floridissimus antiquioris aeui scriptor est, magisque alios scriptores inde seruatos respicimus atque maxime etiam Varronis ipsius libros superstites consideramus, qui in quibusdam rerum rusticarum partibus iucundum et uiuidum quantum posset sermonem facere studebat, hoc statim experiemur, extitisse illo aeuo discrimen certosque fines, quibus utrumque sermonis genus segregaretur, neque Varronem certe fuisse qui unquam eos transiliret. Qui et ipse (de lingua latina V 9) haec dicit: '*quom poeticis multis uerbis magis delecter quam utar, antiquis magis utar quam delecter*'; quare fit ut poetica uerba quaecunque apud illum inuenimus, ea in pedestribus partibus fuisse posita firmiter negemus. Poetica autem dico et ea, quae liberae reipublicae tempore in usu erant solis poetis et quae, si postea fortasse apud pedestres quoque scriptores occurrunt, e poetarum imitatione apud hos irrepsisse uel certum uel probabile est. Haec iam cum sim enumeraturus quibus locis apud Varronem extent, prius moneo me ea, quae iam inter epitheta posita sunt, iterum afferre nolle.

Abor. V: '*speribus*' pro spebus; dictio sublimis, Ennianae (ann. u. 132. 410) poesi propria; cf. *Ὀν. λύρ.* V. — Agatho III: '*hominem seruum*'; 'seruus' adiectiuum poetarum proprium est neque in pedestri oratione liberae reip. tempore usquam occurrit. — ibid. VIII: *cedit citus*. 'Citus

adiectiuum loco aduerbi 'cito' poesim ubique significat, cf. Cycn. I. Parm. II. Vergilius passim. Solus Tacitus ann. XII 12 in prosa 'citi aduenissent'. — Andab. V: '*meant*', uerbum poesis proprium et posterioris pedestris sermonis aeui. Bim. X: '*chortis*' turbae uel multitudinis cuiuscunque notione positum in pedestri sermone sero tantum occurrit; nam Bim. VI de ipsis militum cohortibus intellegendum uidetur. Accedit '*hamiotarum*', Plautino exemplo (Rud. II 2, 5) poeticum. — ibid. XIII: '*tremescit*' a solis poetis adhibetur. — ibid. XVII: '*anticipate*' absolute positum Lucretius habet V 659; item quod sequitur '*addite calcar*' poeticum est, cf. Horatius Epp. II 1, 217 (utroque sermone *calcar admouere* dicitur, cf. Sesq. VII. Cicero epp. ad Att. VI 1, 5); nam Plinios qui haec pedestri quoque sermoni immiscent, propter magnum poeticarum dictionum amorem, qui illorum aeuo uigebat, nil in hac re ualere supra dixi (cf. H. N. II 122. Epp. I 8). — ibid. XVIII: '*propere*' et 'properus' uerba sunt antiquo quidem tempore mere poetica. — Capr. proel. II: '*mortalibus*' pro hominibus dictum quod si quidem cum uocabulis, quae sunt 'multi, cuncti' similiaque, iungitur, a pedestri oratione non abhorret cf. Gellius XIII 29, sed sine tali additamento uersum indicat. Neque Varro nisi locis adhibuit, qui alias quoque ob causas uersibus adnumerandi sunt: ita hic locus copiosis illis '*promisque communia habere*' poesi tribuitur, u. infra. — Cycn. I: '*properans citus*' u. ad Agath. VIII. — Desult. I (cf. p. 61): '*feruere*' si idem est quod 'refertum esse' uel (ut Sexag. IX) 'in multo usu esse' a prosa oratione alienum. — Poeticum est '*fluentum*' ibid. II. — '*Εκατ.* II: '*arma margariticandicantia*' uetustae poescos ritu effictum. — ibid. III: '*laueret*' pro 'tingeret, conspergeret' omnino poeticum. — Epitaph. I: '*intus*' pro 'ex interiore parte' hic et Cras cr. II Plautina libertate dixit, qui item 'intus foras' coniunxit Amph. II 2, 138. Bacch. I 1, 62. Sic etiam '*eual-lauerunt*' praeter Titin. u. 77 ignotum est. — Eumen. I: '*caperratam*' uocabulum poeticum esse ipse Varro de ling. lat. VII 107 apertis uerbis significat. — ibid. II: '*lurcare*' et '*lurco*' comicorum sunt et Lucilii; unicus quoque locus

quo in pedestri scriptore inuenitur (Suetonius de gramm. 15), e carmine desumptus uidetur dactylico, cum Lenaei in Sallustium '*acerbissima satura*' talem fere ut puto uersum continuerit: '*./. lástaurús, lurcó, nebulo átque popíno*'. — ibid. V: '*aura*' apud poetas tantum nitorem uel auri (Verg. Aen. VI 204) uel pulcrae puellae (Hor. carm II 8, 24) uel nostro loco solis significat. — ibid. XI: '*prouocat*' si idem est quod 'par est alicui', poetarum est, e quibus posteriore tempore transiit in pedestrem sermonem. — ibid. XV: '*infandum*' semel quidem Ciceroni (pro Sext. 55) adhibetur, poetis uero usitatissimum est. — ibid. XLIV: '*dierectam*' uox mere Plautina. — *Γνῶθ. σ.* V '*aerifice duxit*' pro 'ex aere fecit' uerbo a se ipso ut uidetur inuento libertate poetica Varro dixit. — Herc. t. f. III: '*uagat*' pro 'uagatur' poeticum esse Buechelerus l. c. p. 430 sq. iam agnouit. — Idem A. q. T. I: '*rabis*' uerbum ante Senecam poetis tantum usitatum; de uocis '*quid*' epanaphora u. infra. — *Κοσμοτ.* IV: '*capulum*' arcae cadauerum notione poetis proprium est, maxime comicis, e quibus Apuleius sumpsit. — ibid. VI '*Aeneae*' i. e. Romanorum et '*misceri sanguine sanguen*', quae in mentem uocant Ennianum illud ex Hecuba u. 228 Vahl. 164 Ribb. '*pergunt lauere sanguen sanguine*' poetica esse apparet. — ibid. VII '*amne*' (quod restitui) pro unda uel aqua a pedestri sermone omnino alienum est. — Idem dicendum est de '*flamine*' ibid. VIII. — Lex Maen. VI: '*lumine*' pro die Ennius Vergiliusque dicunt (ann. 118. 165. trag. 301 V. Aen. VI 356); omnino hoc fragmento Ennium imitatur. — *Λογομ.*: '*lanigeras*' pro ouibus legitur. — Man. VI: '*ueget*' est uerbum a prosa alienum; ceterum de hoc frg. u. infra. — ibid. XIII: '*finemque modumque*' exitus uersus qualem amant dactylici poetae. — ibid. XV: '*limites*' non de agri sed de alius rei, uelut h. l. culinae, terminis finibusque poetae tantum usurpant, plurali praesertim numero; comicorumque est '*alimoniam*'. — ibid. XXII: '*stertere*' dormiendi notione comicorum tantum est, unde Varro sumpsit. — Marcip. XVI: '*ueneriuaga*' uetustam poeseos rationem redolet. — Marcop. II: '*enicat*' si simpliciter 'occidit' signi-

ficat, priore illo aeuo poeticum erat. — Mod. I: '*scenatili*' pro scenico, quod adiectiuum libere sibi Varro finxit (alibi saltem non inuenitur), poeticum se prodit. Hoc loco moneo, adiectiuorum in *-ilis* exeuntium frequentem in Varronis uersibus usum esse; cf. aquatilis (Aethr.); instabilis, mutabiliter, fastidiliter (Cras cr. I); uolabilis (Mel. VIII); deletilis (Mod. II); tolutilis (ibid. III); flatilis (ibid. XI); mobilis (*Ὄν. λύρ.* III. Pap. II); nexilis (Parm. I); potilis (Quinq. VIII); uigilabilis (Sexag. XII); nobilis (*π. αἱρ.* III. *Ταφ. M.* I). — ibid. II: '*deletilem*' et III: '*tolutili*' et XI: '*flatili*': u. quae modo dixi; nullum eorum usquam alibi legitur. — Myst. III: '*uulpinare*' e comicorum sermone petitum uidetur, quamquam testimonium nullum extat. — *Ὄν. λύρ.* V: '*speribus*', uocabulum poeticum cf. ad Abor. V. — ibid. VII: '*scenatici*' pro 'scenici' effictum licentia poetica, sicut illud 'scenatili' Mod. I. — ibid. VIII: '*palmulis*' pro 'manibus' apud Apuleium tantum reperitur et artificiosius est quam quod pedestri Varronis sermoni tribuatur. — ibid. XXII: '*clueor*' in poetarum tantum usu est. — Papiap. XII: '*tabes*' plurali numero apud unum tantum eumque poetam reperitur (Silius VIII 21). — Parm. II et propter '*citi*' adiectiuum cum uerbo eundi collocatum (u. ad Agath. VIII) et propter '*bount*' poesi adtribuo; ipse etiam Varro de ling. lat. VII 104 inter uerba poetica *bouare* habet, quod nostro simillimum est. — ibid. IX: '*traps pronis accidens*'. 'Pronus' apud solos poetas de motu quoque, non de statu solum adhibetur. — Prans. par. I: '*itiner*' forma sublimis poetis tantum usurpata. — Prom. lib. V: '*somnurnas* (i. e. somniorum) *imagines*' *ἅπαξ λεγόμενον* coloris ualde poetici. — Pseudaen.: '*aeuiternam*'. In XII tabulis (cf. Gellius XX 1, 25, quas Cic. de leg. III 3 imitatur) 'aeuitas' pro 'aetate' inuenitur; sed uetusta ea forma cum postea obsoleuerit (cf. Varro de ling. lat. VI 11: '*aeuiternum, quod factum est aeternum*'), apud Varronem non potuit nisi sublimi et poetica dictione adhiberi; nam ipsius uocis ea est condicio, ut e uulgari dicendi usu a litteris alieno Varronem eam cepisse non possit putari. — *Pseud. Ap. I:* '*uagarunt*' actiuo genere dictum est, cf. ad Herc.

t. f. III, quod poeticum esse Buechelerus l. ibi c. animaduertit. — Quinq. VIII: '*lympham*' poetarum est, '*potili*' hoc uno loco legitur. — Dubitanter etiam Serr. VII propter '*liquida uita*' poeticis adiungo, quia 'liquidus' non quidem solorum, sed longe plurima ex parte poetarum uox est. — Sesq. V: '*inuitare poclis*' Plautina dictio est; Plautina etiam et omnino humilioris poeseos ibid. VII: '*buccas sufflare*' est. — ibid. VI: '*uias stelligeras*' et XXII: '*Pieridum*' pro 'Musarum' (cf. *Κυνοδιδασκ.* fg.), quae porro XXIII: '*Thespiadum*' nomine dicuntur, unusquisque uidet esse ex uersibus petita. — Sexag. IX: '*feruit*' poeticum est, u. ad Desult. I. — Tith. I: '*aeuitatis*' poeticum est, u. ad Pseudaen. — ibid. V: '*lusi*' pro 'carmina feci' a prosa ante Suetonium alienum est. — *Τοῦ πατρ. τ. π.* I: '*edepol*' comicae tantummodo poeseos est, cf. adnot. ad Andab. II. — Virg. diu. V: '*limina*' unius aedificii aliusue rei plurali numero dici a pedestri sermone alienum est.

Iam si haec, quae adhuc uel propter epithetorum usum quae ornantia dicuntur uel propter uocabula quae insunt poetica uersibus adtribui, oculis perlustraueris, quaeque fuerit in pedestribus Varronis libris, praesertim illis de re rustica hilaris quidem et faceta salibusque conspersa sed simplicissima scribendi ratio memineris, facile concedes latius etiam euagandum esse omniaque, quae uel insolite et artificiose et tortuose scripta uel nimia uerborum multitudine molesta et superuacaneas ambages (quas frigidiuscule Varronem nonnunquam usurpare fateor) continentia in saturis inueniuntur, poesi uindicanda esse. Profecto haec semper fere ab eis quae simpliciter et pedestri more composita sunt, primo statim obtutu discernere licebit. Quas propter causas haece poetica esse dico.

Abor. I: '*equi hinniunt*' in enumeratione rerum similium plurali repente numero insolite dicitur. — Agath. IV: '*in aedibus*' superuacaneum; cf. etiam p. 73. — ibid. V: '*caelo dolitus*' cum arte dictum pro 'caelatus'. — Obiter moneo de Agath. fg. 4 Oehl. quod Varroni abiudicandum uidetur (u. adnot. ad h. l.); sin quis Varroni tribuere uolet, poeticum tamen faciet cum propter Plautinam uocem

'*uirgindemiam*' (Rud. III 2, 22) tum propter artificiosum illud '*spes auxili argentaria*'. — *Ἀμμ. μετρ.* I: '*homines*' abundat; u. etiam p. 73. — *Ἀνθρωπ.* II: '*auro*' post 'thesauris' superuacaneum est; fragmentum totum poetica constat sublimitate; de epanaphora uocis '*non*' u. p. 69 fin. — ibid. III: '*macellum Romuli*' artificiose sane dicitur pro 'macellum Romanum'. — Arm. iud. I, qui locus non facili opera tractandus est, sed tamen illud '*uiros*' pro quo, quicunque fuit sententiarum conexus, pedestri sermone 'eos' usitatius fuit, uersibus fragmentum uidetur adtribuere, cui opinioni uerborum collocatio non mediocriter suffragatur. In prosa ita fuisset: 'illic praeclaros philosophos hortari, ut rixarent'. — Bim. II: et '*omnino*' ante 'omnis heroas' abundat et '*negat nescisse*' a simplicitate nimis recedit. — ibid. XXII: '*scena uidit*'; rebus addi 'uidendi' facultatem est genus dicendi a prosa alienum, poesis proprium; cf. Sexag. IV. Verg. Georg. II 68; de uerborum collocatione u. infra. — ibid. XXIII: '*pedatus uersuum tardor*' quam sit artificiosissima dictio, nemo non uidet. — Capr. pr. II: '*promisque communia*' geminatio a prosa aliena. — Deuict. IV: '*Veneris tenere bigas*' poeticum est pro 'amare'. — *Ἑκατ.* I: '*Lydon*[1]) *fluens sub Sardibus flumen*'; ampla haec descriptio, ipso fluminis nomine celato, a pedestri simplicitate aliena est, sicut etiam illud '*latere regio*' uel siquid aliud eius loco ponendum est. — ibid. V: '*pura ac puta*' pro eo quod usitatum est 'pura puta' locum poeticum reddere L. Muellerus p. 435 recte obseruauit. Quod uero idem p. 439 Herc. t. f. II propter uocem '*ipse*' uersibus componit, uanum esse commentum obiter monendum puto. — Est m. m. I: '*hilaritatis dulce seminarium*' non quidem omnibus, sed Varroni tamen artificiosius est quam quod in pedestri sermone posuerit. Epanaphoram quoque qualis inest h. l. ter repetito '*hoc*' apud Varronem non inueniri fere nisi in eis quae alias quoque ob causas poetica (exc.

1) Hanc genetiui formam solus Varro et in poeticis quidem partibus usurpat: *lymphon* (Bim. XXI), *Arcadon* (End. VIII), *rhythmon* (Bim. XXIII).

uiuidis illis *Ταφ. Μεν.* XXI) sunt, commemorandum duco; cf. *Ἀνθρωπ.* II. Idem A. q. T. I. Sesq. IV. Sexag. X. *Τριοδ.* IV. — Eumen. III: '*corius ulmum tuus depauit*' quod est 'corius tuus bene uapulauit' a simplicitate in comicam partem aperte discedit; addo Plautinam formam 'corius' alibi inusitatam. — ibid. IV uocabulum '*uellicum*' inaudite in fine demum sententiae collocatum quod debuit esse in initio, simulque artificiosum illud '*frigore torret*' locum reddit poeticum. — ibid. XVI: '*ferro*' omnino abundat. — ibid. XX: '*quaerat cogatque*'; horum uerborum alterum superuacaneum est; sed et '*terrai*' genetiuus[1]) tunc temporis in poesi tantum adhiberi potuit. — ibid. XXXI: '*propter uolitans*' tmesi seiunctum poesim indicat. — ibid. XXXV quater repetitum '*tibi*' in eloquio maxime concitato et fg. sq. artificiosum illud '*per ossa cornuis*' poetica sunt.[2]) — ibid. XXXIX: '*aetas quae adulescentium*' artificiose pro 'quae aetas iuuenilis' positum est. — ibid. XLV: '*exterritum formidine*' copiosam poeseos Varronianae ubertatem ostendit. — *Γεροντ.* XI: '*uma granaria*' libere dicitur pro 'singula granaria'. — ibid. XIII: '*pascantur atque alantur*' eadem est ubertas quae Eumen. XX. — Glor. I: '*in theatro — concucurristis domu, — domum ut feratis ec theatro*'; repetitio uerborum in prosa importuna, tolerabilis in uersu; '*a me*', cum sequatur '*quae feram* [*animo*] *ignoscite*' satis abundat. Fragmentum prologorum comicorum habitum imitatur. — ibid. II: '*cum — combusta est — oliuitasque consumpta est*'; repetitum 'est' poesim indicat; cf. *Κοσμοτ.* V. — *Γνῶθ. σ.* II: '*in malum alte*' et '*penitus per aquam perspiciant*' coaceruatae sunt earundem rerum expressiones. — ibid. IV: '*uenarum riuos*' pro simplici 'uenas'. — ibid. VI: '*sidera caeli diuum*', coaceruatio a prosa aliena. — ibid. X:

---

1) Eiusmodi genetiui in -ai exeuntes praeterea in saturis leguntur *Κοσμοτ.* V '*militiai*'; Parm. I '*fugai*'.

2) Quartae declinationis genetiuus in -uis exeuntes, quos solos Varronem usurpasse Gellius IV 16, 1 tradit, in saturis praeterea habemus *partuis* (And. VII), *fructuis* (Mel. I. *Ταφ.* XIV), *manuis* (Prom. I), *cornuis* (Sesq. VI), *domuis* (*Ταφ.* VI); inuenitur autem *sumpti* (Bim. XXV), *quaesti* (Prom. IX) et *domi tuae* (Bim. VI).

'*cubiculum pudoris*' quaesite dictum. — Herc. tu. fid. I: '*Romae*' prorsus est superuacaneum et a Varronis in deis describendis consuetudine alienum. — *Κοσμοτ.* VII: '*saeuus Neptuni filius*' nomine ipso celato libertate poetica dixit. — Man. III: '*quadrato latere*' libera singularis numeri usurpatio. — ibid. XV: '*sedens*' prorsus abundat iuxta illa 'habens' sqq. 'altus' sqq. positum. — Mod. V: '*Delphice canat columna*'; canere nunciandi uel praecipiendi sensu positum cum omnino sit magis poetis usitatum, tum si de re, non de homine usurpatur, a prosa omnino est alienum. Ceterum de hoc frg. u. p. 75. — ibid. X: '*poculis ardentium*' poetica metaphora de eis dicitur qui sunt uino ardentes; accedit uerborum '*quis popino*' collocatio de qua p. 73 agam. — ibid. XI: '*baccis Liberi*' pro uuis. — Myst. III: '*errans*' superuacaneum omnino est. — *Ὄν. λύρ.* II: '*cantantium gallus gallinaceus*'; audax hercle et artificiosa dicendi ratio, qua significatur is qui ad cantandum erigit et instimulat. — ibid. IV: *praesepibus forensibus*' i. e. foro, ubi pecunia conquiritur: dictio non minus singularis et artificiosa quam de qua modo dixi. — ibid. XIII: et '*tibiis*' et '*flectendo*' iuxta posita, quarum alterum altero inutile fit, et ubertas, quae est in '*commutare mentes, erigi animos eorum*' poesi sententiam uindicat. — ibid. XV: '*maerentis quietus . . probandus*'; tortuosa loquendi ratio pro eo quod est 'maerenti quietus aptus' poeticum reddit. — ibid. XVI: '*in uulgum uulgas*' ubertas aperte poetica; de h. l. u. p. 78. — ibid. XX: in '*uenabulo*' et '*uerrutis*' numerorum libera disparilitas simul cum abundantibus illis '*in montibus*' a prosa est alienum. — ibid. XXI: '*dispares nati*' pro 'dispares sunt' a simplicitate pedestri Varroniana recedit. — Idem cadit in Papiap. II: '*uallatos mobili saepto tenent*'. — Sic et Papiap. IV. multo artificiosius expressum est quam quod ad prosam referatur: '*laculla — impressa Amoris digitulo*' sqq., quod etiam dicendum est de '*Atticarum Musarum scriptores*' ibid. XI. — *π. αἴρ.* II: '*corpora ac famem uentris*' pro 'corporis famem' constructio est mirae libertatis poeticae plena. — Prom. lib. II: '*in querqueto*' copiose abundat. — ibid. VI: '*humanae gentem stir-*

pis' artificiose expressum est. — Idem dicendum de ibid. VII: '*satias manum de mensa tolleret*', quo etiam loco '*sat haberet*' poeticum est; 'sat' enim cum aliis atque 'esse' uerbis non nisi a poetis iungitur. — Quinq. II: '*forcipes dentharpagas*' audax et poetica locutio est. — Serr. III: '*bigas cornutas*' poetice boum iugum significat; de h. l. u. p. 77. — ibid. V: '*et petere imperium et contendere honores*'; eiusdem cogitati repetitio a Varronis prosa aliena. — Sesq. IV: '*omnes — uentos omnesque procellas*' et propter cogitati geminatam expressionem et propter epanaphoram (cf. supra ad Est m. m. I) poeticum dico. — ibid. VIII: '*aquam e nubibus tortam*' est constructio artificiosissima. — ibid. X: '*uenti ceciderunt*' poetarum est (cf. Verg. Georg. I 354); Liuius inter pedestres primus talia usurpauit. — ibid. XIII: '*barbari*' nomine celato quod est 'Lydi' ambages artificiosas habet; cf. quod dixi p. 69 (Ἑκατ. I). — Artificiosissima autem ibid. XXI sententiarum conglutinatio inuenitur; nam quae leguntur '*qui se in ganeum ac censum coniecit amicae*' ita interpretanda sunt: 'qui se in ganeum coniecit, i. e. qui ibi uitam consumpsit, et censum i. e. rem familiarem suam amicae suae coniecit i. e. cum illa dissipauit.' — Sexag. IV: '*nuptiae uidebant*', cf. quae dixi ad Bim. XXII. — ibid. X: '*canis — e catello, e tritico spica*' chiasmum habet, uerborum collocationem elegantiorem quam in prosariis Varro adhibuit; accedit etiam epanaphora uocis '*sic*' cf. p. 69 ad Est m. m. I. — Sexag. XI: '*parce pureque pudentis*' poetica ubertas est; sic etiam '*Romae — in patria*'. — ibid. XIII propter uerba '*faxs inuoluta incendio*' poeticae tribueremus etiam ni sciremus Varronem haec ab Ennio mutuatum esse. — Σκιαμ. I propter uerborum '*te Anna o Peranna*' (nam sic restituendum est; nil est librorum 'te Anna ac Peranna'; 'ted' autem Varroni haudquaquam perinde ac Plauto aptum est) collocationem libereque modo adhibita illa modo omissa '*te*' '*et*' '*ac*' inter uersus ponendum est. — Vbertatem etiam ibid. III deprehendimus in illis '*parebis — an non? anne —*' quae poetica ideo puto. — Ταφ. Μεν. I: '*in terrae pila*' poeticum pro 'in terra, in orbe terrarum'. — Tithon. III: '*mammam lactis*'

i. e. lactis plenam, admodum inusitate dictum. — Virg. diu. III: '*lacte nouo*' pro 'lacte nutriente' satis artificiosum. — ibid. VIII: '*mollis — sagus*' et '*aptam — fibulam*' chiasmo quem dicunt inter se segregata, quem Varro in prosa ignorat, adhibet autem ut artificiosum in poesi, cf. Bim. XXII. Marcip. VI. Adiectiua omnino nimis longo interuallo a substantiuis suis dirimi nisi in uersibus non sinit; quamquam unum alterumue uocabulum interponere uel in prosa non respuit, cf. Eum. XXXIV: '*uario recinebant strepitu*'; Bim. I: '*sine ulla fecerit Musa*'; Mod. XV: '*in cubiculo dormire mallem simplicei*'; *Ὄν. λύρ.* XI all. Sed longiora interualla non habemus nisi in eis quae alias quoque ob causas poetica dixi, cf. *Γεροντ.* XIII: '*ubi graues pascantur atque alantur pauonum greges*'; Andab. III; '*manus uisco tenaci tinxerat uiri castas*'; ibid. VII; Agath. IV; *Ἀμμ. μετρ.* I; Eum. XIX; Mod. X; ibid. XI et fortasse Marcip. XVI.

In paucis adhuc est locis inuestigandum, num ad uersus pertineant. Et primum quidem supra iam dixi, hexametros Varronis durissimos nonnunquam esse, id quod auctoribus quos sequitur magis quam ipsi uitio dandum censeo. Quod cum ita sit, fragmenta quae in hanc formam ultro coeunt, etiam si nullum poeticae pulcritudinis uel ubertatis uestigium ostendunt, non tamen e uersibus remouenda duxi, quam rationem lubricam esse scio, et quam recte fecerim a peritioribus edoceri cupio. Sunt igitur quae dico haec fragmenta, quae hexametris descripsi: *Ἕως πότε* II; *Γεροντ.* VIII; *Περιπλ.* lib. II, II (u. p. 76); *Σκιαμ.* II; hexametris pentametrisque autem Eum. XXVI. XXVII, quae inter se aliorum uirorum doctorum exemplo coniunxi. Sunt etiam fragmenta quaedam breuissima, quae certis argumentis carere supra significaui, quibus alterutri sermoni tribuantur. Inter haec *Ὄν. λύρ.* I. Parm. V. Sesq. XI. poesi propterea tantum attribui, quia aliis harum saturarum fragmentis similia continentibus, quae uersibus constiterunt, proxima fuisse uidentur; neque tamen multum momenti ei rei me tribuere uelle in initio capitis dixi; quare pro certo hic quidquam affirmare non audeo. Etiam

Prom. lib. XII et *Ταφ. Μεν.* XVIII et Virg. diu. X (cuius sententia non est plana) ad utrumque pertinere sermonem possunt.

Sed unam adhuc rem consulto negleximus, quae magni momenti in re nostra esse poterit. Enumeraui quidem ea quae in fragmentis poeticae compositionis uestigia puto[1]); nondum autem consideraui, cum in his saturis uterque sermo mixtus sit, in singulis quoque fragmentis huius coniunctionis reliquias nobis potuisse seruari; quid igitur disputatione mea probatum est, nisi haec ipsa tantum uerba de quibus dixi poetica esse, reliquas horum fragmentorum partes ad prosam non pertinere nondum constare? Et sane quaestionem nunc attingo satis spinosam, quam ut sana ratione et quantum possim facillime perficiam, hoc primum premendum est, duo poeseos genera saturis iniecta esse: carmina dico ab ipso Varrone conscripta uel breuiora uel longiora et aliorum poetarum uersus uersuumue frustula ab illo adlatos saepissime; deinde inuestigandum quonam modo cum pedestri sermone utrumque genus coniunxerit. Accedet postremo quaestio, num uariorum metrorum nullis prosae interuallis diremptorum seriem continuam possimus hodie inuenire.

Aliorum igitur poetarum uersus eum potuisse saturis omni modo inspergere, ut uel sententiae fine a praecedentibus segregarentur uel uno tenore illis adiungerentur, et per se maxime est probabile et exemplis confirmatur, cum quae *Ἀνθρ.* VI. Bim. I. Eum. VII. *Ταφ. Μεν.* VI sub Plauti Enni Scanti nominibus adferuntur, eodem cum ipsius sententiae uerbis ambitu contineantur, in uno fg. *Γερουτ.* XVI Enni uerba et ut uidetur Euripidis *περὶ ἐδεσμ.* I paulo seuerius segregata sint. Eodem modo tunc etiam si auctoris nomen tacet (ut quod legentibus notum esse prae-

1) Non erit superuacaneum repetere, quod dixi p. 56. 58, pedestria singillatim eodem modo me non esse perlustraturum, sed in horum numerum omnia esse referenda in quibus poeticae artis signa non deprehendimus. Sed hoc addere licebit, sales facetiasque in solis fere prosariis inueniri, quamuis qui a poeticis omnino ea diceret abesse, nimium diceret, cf. Eum. III. XVIII all.

sumpserit), uersus eius in suas sententias cum iniunxisse scimus, cf. Test. III: '*natis — tutores do, qui rem Romanam Latiumque augiscere uultis*' quae inde a uoce 'qui' Ennianum uersum annalium 455 continent (cf. Acro in Hor. Sat. I 2, 37) nec tamen e constructione Varronianae sententiae excidunt; quod idem ualet in Pacuui u. 314, quem Man. XIV, Ennique ann. u. 517, quem Endym. VI in sententiam recepit, paululum hos duos memoriae lapsu immutans; nec non in Andab. I cf. Menandri monost. 420 et Sexag. XIX (dictio epica cf. ann. 48. 60) et *Σκιαμ.* IV. cf. Lucil. XXIX 68 Gerl. et in poeticis quoque partibus Bim. XIII cf. Lucil. inc. 84 et *Κοσμοτ.* VI cf. Enn. ann. 311 et Lex Maen. VI cf. Enn. trag. 277 Vahl. (quem uersum etiam Seneca in satura c. 8 adhibuit) et *περὶ ἑξαγ.* IV cf. Enn. trag. 393 et Prom. VI cf. Enn. Epicharm. 2 et Sexag. IX cf. Epicharm. ap. Pseudo-Plat. Axioch. p. 366 c. Ex his quidem, quomodo rem aggressus sit Varro, cognouimus; difficultas autem inde exoritur, quod saepe laudat aliorum uersus, de quibus nil praeterea cognitum habemus; in quibus eruendis diuinandisque audaciam cautionemque inuicem sese sustinere quam maxime opus est. Nam ne dicendi quidem genere a Varronis ipsius uersibus discerni possunt, quippe quem imitatione aliorum usum esse iam ostenderim; unum superest auxilium, ut si quae forte uerba in fragmentis ita comparata sunt, ut poetica esse necesse sit, reliquas autem e i u s d e m sententiae partes prosarias esse omnino iudicandum sit, alienum uersum partemue uersus in medio positum agnoscamus. Huc pertinent quae supra iam tractaui haece: Mod. V, ubi uerba '*Delphice canat columna*' sqq. poetica esse apparet, maxime autem docta illa expositio '*medioxime, ut quondam patres nostri loquebantur*' a poesi aliena est; quare poetae locum uerbis '*Delphice — μηθέν*' (quae sola, sed ea optime, in metrum cadunt) contineri eumque ex aliqua tragoedia sumptum puto. — *Γνῶθ. σ.* II '*in malum alte*' sqq. cur poetica esse uoluerim, p. 70 declaraui; prior autem fragmenti pars una praesertim re pedestri sermoni uindicatur, quod sententiis pluribus paruis scissisque et per alias in-

iunctas diremptis constat. Hoc enim dicendi genus in prosa oratione plerumque Varro habet, quod itidem ex imitatione sibi uidetur adsciuisse Asiani cuiusdam rhetoris quem eo usum esse scimus; cf. Cic. epp. ad Att. XII 6, 1 qui post sententias ualde abrupte scriptas pergit: '*habes Hegesiae genus, quod Varro laudat.*' — Aliam ob causam Eum. XXXII '*uix uulgus confluit non Furiarum sed puerorum atque ancillarum*' tria uerba priora poesi cum Ribbeckio addixi: addita illa '*non Furiarum sed*' quae praeter sententiae necessitatem sunt, significant puto tale aliquid '*uix uulgus cónfluit || Fúriarum*' Varroni in mente fuisse, quod ad Enni Eumenides fortasse pertinuit. — Sed Man. VI sententiae '*nec natus est nec morietur: uiget ueget ut pote plurimum*' pars posterior tam poetica in uerbis quam prior est simplex et ad docendum apta: quare posteriorem pro parte hexametri habeo e carmine aliquo didascalico sumpta. *Περιπλ.* II, II '*panis, πέμμα, lucuns, cibus qui purissimus multo est*' et *Σκιαμ.* II '*uinum, πέμμα, lucuns*' sqq. uerborum iam parilitate ad aliquod exemplum referenda se ostendunt, cuius locum Lucilium obtinuisse ueri est simillimum, cui totum *Περιπλοῦ* hexametrum dabimus; huius autem fragmenti reliqua pars pedestris esse, si uersum concedimus adlatum esse e Lucilio, cum in metrum non cadat, facile conceditur; in *Σκιαμαχίᾳ* autem eandem uersus partem uerbis libere mutatis in locum hexametro conscriptum infert, quales mutationes etiam Endym. VI, *Κοσμοτ.* VI, Leg. Maen. VI, Man. XIV et praecipue Prom. lib. VI (ubi uel metrum trochaicum in senarios iambicos mutauit) eum fecisse uidemus quodque certam uersuum inspersorum cognitionem multo difficiliorem reddit. Porro et senario compositum prouerbium Graecum pedestri sermoni Papiap. XV immiscuit et tragici Graeci nescio cuius hemistichium si recte emendaui *Ταφῇ Μεν.* XI reddidi, quibus *Εὖρ. ἡ λ.* I senarii comici partem Graeci accedere puto. Graecum denique septenarium qui prouerbialis mihi uidetur, suis ipsius uersibus *Ὄν. λύρ.* XV inseruit. Breuissima autem quaedam Graeca uelut *πίνων δέπας* (Est m. m. III), *μικρὸν κρέας* (Man. VIII) similiaque utrum ex aliis sumpserit an

suo lubitu finxerit, in incerto relinquendum uidetur. — '*Bigas sequi cornutas*' (Serr. III) poeticum esse ex eis quae supra disputaui apparet; reliqua autem fragmenti pars cum prosariam prae se ferat indolem et '*Triptolemus sculponeatus*' de quo haec dicuntur, Serranus ipse esse suspicandus sit, tria illa uerba ex tragica aliqua de Triptolemo narratione afferri uerisimile est. — De Plautinis uerbis *Ταφ. Μεν.* VII repetitis u. adnot. ad h. l. — Sexag. XIII: '*adest faxs inuoluta incendio*' ex Enni trag. u. 85 desumptum est uerbis hic quoque paulum immutatis eodem modo quo Andab. II ex Plauti Mil. II 3, 51. — Graeca etiam in latinum sermonem uertit; itaSesq. IV ex Odyssia V 292 sq., *Ταφ. Μεν.* XI fin. ex Diphilo satis libere expressit, quorum posterius in ipsius quoque Varronianae sententiae conexum transiit. — Prosaria denique aliorum Varronem in pedestribus quidem partibus rettulisse uerisimile est, quamuis poetas utpote notiores afferret saepius; quae ut discernantur nisi sunt loci aliunde forte noti, cum dicendi uarietas nullam hic dignoscendi ansam praebeat, nullo modo effici potest. Certe unius tantum loci fontem indicare possum, *Γεροντ.* IV: '*cum arceram, si non uellet, non sterneret*', qui deriuatus est e duodecim tabulis apud Gellium XX 1, 25: '*si nolet, arceram ne sternito*'.

Haec de locis aliorum scriptorum a Varrone adlatis dicenda erant; nonnulla eorum iam Ribbeckius mus. philol. X 286 sq., Vahlenus coni. p. 12 sqq., Buechelerus mus. philol. XIV 423 sqq. congesserunt nec si quae hi uiri docti huc rettulerunt in quibus ab eis dissentiendum puto, ea nunc recensebo, sed referam legentes ad adnot. ad *Γεροντ.* XV. Eum. XXIV. Man. XIV. ibid. XVI. ibid. XXI. Marcip. VII. all. Graeca igitur et Latina, in poeticis pedestribusque partibus, uerbis uel seruatis uel paulum mutatis, nomine auctoris apposito uel omisso, sed fere omnia quoad possumus dispicere ab ipsis Varronianis nulla graui interpunctione segregata sed in sententias eius accepta ab eo adhibita uidemus.

Alteram uerbo iam tetigi quaestionem, utrum sua ipsius carmina a partibus pedestribus graui semper interpunctione

seiunxerit an in unam cum illis sententiam confluere admiserit. De ea re primus Kochius in exercitationibus criticis Bonnae a. 1851 editis p. 18 opinionem protulit, '*et raptim saepe ab uno uersuum genere ad alterum Varronem transire et mediae orationi pedestri uersus ita miscere, ut enunciatorum fines omnino non respiciat*'. Quam sententiam postquam Vahlenus Ribbeckiusque non semel suam fecerunt, acerbissime a L. Muellero l. c. p. 81 sqq. impugnata est, qui insanam hanc rationem neque cuiquam similis materiae scriptori Graeco Latinoue usitatam dixit. Qui uir doctus si 'insitae animo uerecundiae' (p. 444) diligentiam perinde laudabilem adiungere uoluisset, non ita magno spero labore animaduertisset, hanc quam tantis conuitiis exagitat rationem Petronio 'similis materiae scriptori' reuera placuisse. Petronianos autem locos huc facientes integros apponam non quo uirum tam eximium temptem rem edocere, sed ut appareat tandem, libertatem in conscribendo si quando scriptor peritus sibi sumit, non eum circumscribi legibus aliis quam quae ipso pulcritudinis sensu sanciantur. Scripsit igitur Petronius c. 108: '. . *protendit ramum oliuae a tutela nauigii raptum atque in colloquium uenire ausa* '*Quis furor*' *éxclamát* '*pacém conuértit in árma? Quíd nostrae meruére manús?*' sqq. — c. 128: '. . *interrogare animum meum coepi, an uera uoluptate fraudatus essem: Nócte sopóriferá ueluti cum sómnia lúdunt*' sqq. — c. 132: '*Haec ut iratus effudi, Ílla soló fixós oculós auérsa tenébat*' sqq. — Iam igitur constat illum sententiae finium immemorem, ubicunque rem putat poeticae descriptioni aptam (hoc animaduerti potest in his tribus exemplis) incipere, in uersus transire. Cur uero eandem elegantem Varroni libertatem denegemus? Nam haec saltem non potest esse causa, quod in fragmentis sobrie pertractatis nullum certum eius generis monumentum reperitur, in quibus duo omnino sunt quae huc pertinent *Ὄν. λύρ.* XVI et Sesq. X, quorum sane in neutro utriusque sermonis partes artissime iunguntur. Eo igitur inducit Petroni comparatio, ut quod in Varrone nobis quidem non seruatum est, potuisse tamen ei inesse concedamus; suadet uero hoc quoque, quod Kochius et

reliqui non satis curarunt, ut non temere nullamque ob causam in alterum eum sermonem in mediis sententiis credamus transiluisse, sed quocunque modo rem ipsam magis poeticum colorem adipisci necesse esse, ut haec mutatio locum habere possit.

Breuissime denique quaestionem de uariis metris sese excipientibus absoluam. Nam potuisse hoc quoque Varronem sibi concedere, quod recte Kochius l. c. agnouit, Petroni iterum ratio docet, qui c. 5 choliambis hexametros et c. 109 distichis elegiacis hendecasyllabos subiecit. Sed exempla extant pauca. Nolo saltem *π. ἑξαγ.* IV cum Ribbeckio creticos bacchiosque inter se iungere, quod quidem Parm. IV—IX factum uidetur, u. p. 86; deinde Eumen. XLVIII octonarium iambicum trochaicus sequitur uersus. Septenarii porro et octonarii uersus trochaici ita fortasse Bim. XI—XIII iuncti sunt, ut septenarius clausulae munere fungatur; sed Eum. I—III promiscue positi esse uidentur. Epodos autem ante Horatium iam eum scripsisse', quod e Marcip. II Meinekius (diar. antiq. litt. 1845 p. 739 et praef. ad Horat. p. XXXVIII) suspicatur, cum eius fragmenti uersus alter, qui quattuor iambis constat, pars tantum senarii esse possit, non satis certum uidetur; nec tamen omnino cum L. Muellero p. 413 reprobandum in poeta, quem a metricis nouationibus non abstinuisse infra docebo quemque res similes, anapaestica dico systemata paroemiacis clausa *Γνωθ. σ.* IV, *Κοσμοτ.* VIII adhibuisse et seriem iambicorum dactylico (ut Diog. L. VI 100) exitu Eum. XXXIX, XLII clausisse (hoc adde L. Muellero p. 114) uerisimile est.

Tandem igitur disputationem meam ad finem perduxi, qua ostendi inter fragmenta saturarum circiter quingenta nonaginta poesi adtribuenda esse circiter ducenta quadraginta, reliqua pedestria esse. Sed et hoc in fine repeto, signa poeticae compositionis me in singulis fragmentis, cum poeticam omnino indolem demonstrare contentus essem, non omnia enumerasse, iterumque confiteor quod initio dixi, in singulis me potuisse errare, quare si inter pedestria reliqui, quae certas ob causas poetica esse mihi monstrabitur, libentissime equidem edocebor.

Finem huic capiti imponam metra quibus Varro usus est recensendo quasque in eis sibi leges imposuerit quam breuissime perlustrando. Cui rei et breuitas multorum fragmentorum, qua iambici maxime et trochaici uersus non satis discerni possunt, cum initium uersus aut absit aut ubi sit nesciatur, et misera Nonianorum librorum condicio, qua uersuum partes supplere saepe cogimur, multum obstat accurate perficiendae, neque desunt fragmenta quae nonnisi infirmissimas propter causas alicui metro addidi paenitentiae futurae paene certus; quam malam fortunam, cum ab hac materia non possit abesse, cur tandem confiteri pudeat? Hoc tamen cum Buechelero p. 428 a Nonio librariisque eius arceo, eum uerba saepe perperam transposuisse, cum praeter leuicula quaedam (uelut Eum. XXI p. 26 '*uidentur*' *esse*, p. 149 '*esse uidentur*') traiciendo mihi nusquam opus fuerit, quo demum uersus in fragmentis poeticis iustos instituerem.

Omnium igitur saepissime Varro adhibuit metrum iambicum senarium, quo 78 fragmenta constant uersus continentia plus 150, quorum tamen his caput deest illis cauda. Ex parte minore Graeca sunt seueritate compositi[1]), quam Varro et Catullus Romanorum senariis primi intulerunt (u. L. Muellerus p. 107), ut a paribus spondeus exclusus sit; in multo pluribus Italicorum uersuum (hoc nomine utor a Muellero p. 411 inuento) licentiam usurpauit spondeos uel pro eis dactylos anapaestosue promiscue ponendo. Neque desunt uersuum series medii cuiusdam generis, quae seueram ad normam exactae uno tantum alteroue loco ab ea desciscunt, ut paene dubites an sciens nolensque in illis Varro artem Graecam adhibuerit[2]).

---

1) Falso Vsenerus in thesi Analectis Theophrasteis a. 1858 adiecta Varronem 'senarios plerumque ad seueram Graecorum normam exegisse' contendit.

2) Eam rem Langius in Quaestionibus metricis p. 40 rectissime sic descripsit: '*haud abhorrebat a spondeis semel uel bis in pares etiam irrepentibus sedes; ita ut magis noua quadam elegantia uersus suos decorasse uideatur quam certam sibi statuisse legem. Immo extant quaedam fragmenta, in quibus uel saepius in hac specie uel rarius in altera illa in-*

Huius medii generis sunt e. c. Bim. II. Herc. t. f. I. Marcip. II—VI. *Ταφ. Μεν.* I; seueram autem omnino artem profitentur *Ἀνθρ.* I. *Ἑκατ.* I—IV. Est m. m. I. Glor. I. Mod. I—II. *Ὄν. λύρ.* I—VIII (de 'orthŏpsalticum' u. p. 90). Parm. I. Prans. p. I. *Σκιαμ.* I. Vides maiorem partem restare, quae dura illa ueterum scaenicorum ratione formata sit[1]). Quinto pede quod spondeus praeualet ut apud iambicos omnes (cf. Bentleius in Hor. Serm. II 5, 79), id Langius in Quaestionibus metricis Bonnae 1851 editis ita accuratius definiuit p. 41. 46, ut sexta uersuum parte purus iambus inueniatur, pro qua quartam rectius partem dices, uid. adnot.; nec tamen multo rarior in primo et tertio pede spondeus est. Ceterum inter quinti pedis iambos duo tantum sunt, ubi uersus duabus uocibus iambicis, pessimo illo senariorum exitu (cf. Ritschelius prolegg. Trin. p. CCX) clauditur: *Ὄν. λύρ.* IV (*ὄνος λύρας*) et Parm. II ('*strepunt, bount*')[2]), quae L. Muellerum p. 414 effugerunt, cum talia Varroni omnino abiudicaret. Qui simili infortunio cum p. 423 anapaestica uerba a secundo senariorum Varronis pede arceret, Mod. XI. (. .' *capitis*) Eum. XLV (*sed nós simulátque*) Sesq. XI all. omisit. — Caesuras Varro adhibet praeter hephthemimerin et penthemimerin etiam post secundam arsim uel post quartam uel post utramque ut in hoc '*ut comici, cinaedici, scenatici*' (*Ὄν. λύρ.* VII), qua iamborum

---

uenitur spondeus in sedibus paribus quorum exempla habes Agath. 4 [quod spurium dico], *Parm.* 1 [I, ubi falsam Oehleri lectionem sequitur. Vera exempla supra affero] *et magnum fragmentorum numerum, in quibus cum ex uno tantum uel etiam duobus constent uersibus, semel modo uel secundum uel quartum pedem occupat spondeus*'.

1) Iambos repperi in primo pede 31, in altero 85, in tertio 31, in quarto 91, in quinto 32; spondeos 88 — 35 — 91 — 39 — 99; tribrachys 2 — 9 — 6 — 1 (? Glor. I) — 0; anapaestos 12 — 5 — 2 — 3 — 3 (quare L. Muellerus p. 153 falso dicit Varronem prima tantum uersus parte anapaestum ponere; cf. Eum. XI. Sesq. XIII. — Ag. VI. Papiap. I. Sexag. XXI. — Mod. XI. Sesq. XIII. T. *πατρ. τ. π.* I. adde duos in Hebdomadibus uersus); dactylos 6 — 7 — 14 — 7 — 5; proceleusmaticum unum tantum in primo pede (Sesq. XII).

2) Addendus uersus de compositione saturarum (u. p. 46) ita desinens: '*Venus capit*'.

quidem uis augetur, membrorum autem totiusque ideo uersus cohaerentia perit; quod genus apud alios rarum (cf. Ritschelius prolegg. Trin. p. CCLXXXII) abundat apud Varronem. Nusquam autem extat incisio post tertiam arsim (nam Virg. diu. VII, a Muellero p. 422 huc tractum, pedestri sermone scriptum est). — Denique quod ad accentus uerborum cum metricis exaequandos pertinet, nunquam hoc consulto fieri in prima et ultima dipodia cum reliquis poetis habet commune; neque fit in uerbis, quarum pars ad has pars ad mediam pertinet. At in media dipodia quarto quidem pede uocabula ponit iambica quae fiunt oxytona[1]), nunquam autem (sic etiam Phaedrus) in tertio, nedum in utroque. Nam et Sard. uen. fg. quod apud Ochlerum hanc habet dipodiam mediam '*saltém pudét*', a poesi omnino alienum est et *Ὀν. λύρ.* III ita scribendum, ut '*diuúm lyrám*' non mediam sed ultimam impleat dipodiam, qua mutatione exorientem tertium in sequente uersu pedem '*quadám*' quomodo abstulerim sententiam metrumque pariter respiciens, commodo loco uidebis. Hoc unum concessit sibi Varro, ut uoces quae tertii pedis arsi quartoque pede toto constant, siue sunt molossicae (*féllarunt* Sesq. XI. *sómnurnas* Prom. V) siue choriambicae (*múltiplici* Ag. VI) siue paeones quarti (*rétineat Ὀν. λύρ.* IV. *míseriis* Lex M. VII. *cécidĕrunt* [ĕ cf. Est m. m. I *inuenĕrunt* et Aethr. fg. in uersibus Graeca seueritate compositis *pertimuĕrunt*] Sesq. X. quo etiam pertinet *quód anímae Τροδ.* III; cf. *múlierem* de comp. satt.), accentibus uerbalibus qui sunt in secundis syllabis neglectis metricam in primis syllabis uim haberent. In uniuersum autem leges quas hac in re Plautum habuisse Ritschelius l. c. p. CCVI sqq. ostendit, eaedem sunt quae apud Varronem quoque ualent, id quod obiter tantum, cum totam rem nolim pertractare, contra

1) Vocabulum spondaicum eo pede nullum inuenitur praeter Papiap. III '*rictûs paruissimûs*'. Iambicam uocem insequitur quadrisyllabum uerbum, quale est illud *paruissimus*, Mod. I '*modo scenatili*' et ibid. III '*gradu tolutili*'. Plerumque duae secuntur uoces bisyllabae, sed Id. Att. q. T. I extat '*rabis? quid uis tibi?*'

Corssenum (Aussprache, Vocalismus sqq. d. lat. Spr. II 454 sqq. 469) moneo, qui prorsus illas reiecit.

Iam pergo ad septenarios trochaicos, quos legibus illarum quas de senariis exposui similibus Varro adhibuit 27 fragmentis extantes. Nam et Italicam spondeorum libertatem paulo tantum rarius usurpat quam in senariis (cf. Sesq. XVII *ecúm mordacem.* Γερ. XIII *alántur pauonúm.* Magn. tal. I. Abor. V. alia), cuius rei hic quoque medium aliquod genus deprehendimus Γερουτ. X—XIII, ubi in quattuor uersibus ex eodem carmine desumptis duo tantum spondei Italici occurrunt[1]); — et ante iambum ultimum spondeus aeque frequens est atque in senariis (cf. Ritschelius l. c. p. CCX), cum 22 spondei, 5 tantum iambi eo loco inueniantur. Accentus uerbales metricique in mediis uersuum partibus saepius quam in senariis neque tam certis legibus discrepant.

Eadem fere condicione scripti sunt octonarii trochaici (quos uersus solus Varro adhibuit cf. L. Muellerus p. 108) et septenarii et octonarii iambici, quae duodecim et nouem et sex fragmenta continent. In his enim quoque metris (praeter id quod ultimo loco nominaui) Italicae licentiae cum Graeca seueritate quaedam commixtio animaduertitur. Ceterum de omnibus his uersibus ualet quod Lachmannus in Lucr. II 719 statuit, uerbo dactylico pedem trochaeum expleri in uniuersum non debere; quam sententiam cum Fleckeisenus in Vahleni coni. p. 222 ita circumciderit, ut a primo uersus pede eam secluserit, '*frigore*' et '*uócibus*' (Eum. IV. XXXI) trochaco pede constantes eo pede retinui.

Senarios uersus scazontes non quinque locis, ut Vahlenus putat p. 88 sq., sed decem aut undecim inuenies legendos circiter octodecim. Qui non quidem omnes, quod Lachmannus in Lucr. I 186 de claudis Varronis uersibus dubitanter proposuit, sed maxima tamen e parte

1) Septenarios trochaicos iam ante Varronem a Porcio Licino (cf. Gellius XVII 21, 45) graeca norma tractari Langius p. 41 iam animaduertit.

Graeca sunt seueritate compositi; nempe metro a neotericis demum poetis, fortasse a Varrone ipso, Romam inuecto non tam pugnandum erat contra Italicam duritiem quam eis quae scaenicorum iam usu formam suam acceperant. Quare quater pes secundus, ter tantum (Pap. XII. End. V. *Τὸ ἐπ. τ. φαν.* II) quartus productus est; porro quintus pes tantum non ubique elegantiam induit puri iambi, qui ter (End. V. Epit. I. Marcip. XVII) spondeum quoque moleste accepit, id quod unus post illum Boethius admisit (cf. L. Muellerus p. 149 sq.). Errauit igitur Vahlenus l. c., cum spondeos a secundo paene, a quarto et quinto pede omnino excluderet. Accentus uerborum uersuumque in media dipodia consentiunt praeter End. V. Papiap. XII et Prom. XII (nisi ibi est sermo pedester).

Seueriorem etiam normam trochaici septenarii claudi secuntur, quos in decem fragmentis inuenimus. In horum enim uersuum, quibus solus Varro inter Romanos usus est (cf. L. Muellerus p. 111), parte priore nunquam, in posteriore bis tantum (Sexag. X. XXII) spondeos admisit in sedes impares, semel tantum ultimarum duarum syllabarum trochaeum siue spondeum spondeus praecedit (Marcop. III), semel adeo tantum arsim in duas breues solutam legimus (Virg. diu. VIII).

E dactylico genere hexametri 23 fragmenta obtinent et disticha elegiaca sex locis seruata sunt (si Eum. XXVI. XXVII pro duobus habeo). De quorum indole modo grandi et sublimi, modo tenui et ieiuna supra dixi; de re metrica nil habeo quod commemorem.

Porro anapaestos dimetris compositos nouem et tetrametros catalecticos siue aristophaneos[1]) quos in concitatiore eloquii elatione nonnunquam usurpauit sex fragmenta exhibent, quibus in utrisque grauitas Varroniana spondeos dactylosque, qui uolubilem thesium geminationem tollunt, multo saepius quam ipsos anapaestos posuit. Monometrum autem num fg. dimetris constanti Eum. XLVI immiscuerit '*nexa in uulgi*', decernere nolo, cum

1) Quibus solus post Varronem Serenus utitur, u. L. Muellerus p. 107.

uersus quidem fieret elegantior hac re accepta, nimium uero eiusmodi libertas a Varronis moribus abhorreat caesuraque non in medium uersum anapaesticum cadens, quam monometrica illa mensura tollit, a Varrone ne aliena quidem sit (cf. Dol. aut. ser. u. 2. 6. L. Muellerus p. 203). Ceterum cf. Vahlenus p. 60 sq. 72. L. Muellerus p. 146 sq.

Sotadeorum uersuum usus Varroni non est rarus, quem, nisi Ennius Attiusque libris p. 60 memoratis praeissent, in tali uiro non debuimus expectare. Horum uersuum formas multigenas quas Lachmannus ind. Berol. hibern. 1849 p. 4 enumerat in Varronis paucis reliquiis (quattuordecim constant fragmentis) tantum non omnes reperiuntur, cum tria tantum ex undecim formis e ionicis a spondeo incipientibus deductis non apud illum extent (⏑ – ◡ –; ⏑ ◡ ◡ – ◡ ◡ ◡ – –). Extat uero quem idem p. 3 sq. Varroni abiudicat molossus: '*ác censum*' Sesq. XXI; '*súfflare et*' ibid. VII; '*tónsilla*' uel '*tónsillae*' Des. I; extant etiam ni fallor formae quas Lachmannus non commemorauit ⏑ – ◡◡ ◡ et ⏑ ◡◡ – ◡, quorum prius inest librorum lectioni '*múgit bouis, o|uis*' sqq. Abor. I, ubi antiquam formam *bouis* cum Lachmanno in 'bos' mutare nolo, quamuis Varro ipse de l. l. VIII 74 eam e consuetudine excidisse tradat; sed neque certum hoc est impedimentum quominus in 'ueteribus suis' hoc uocabulum adhibuerit, neque omnino ita codicibus imperandum puto, ut tales formas uere uetustas librariisque incognitas casu aliquo inrepsisse statuamus. Alterum illud ⏑ ◡◡ – ◡ inest fortasse uerbis *π. αἰϱ.* II '*litora oriris*', quo tamen loco in procliui est 'oreris' cum Lachmanno scribere[1]). Caesuram post ionicum secundum instituere non curauit. — Versus porro ionicos a pyrrhichio incipientes ante Varronem non fortasse adhibitos habemus tetrametrum catalecticum Test. I, acatalectum autem fg. inc. XIII, quales Lachmannus in Lucr. IV 1275 iambionicos appellauit, Diomedis p. 517 uerbis, ut recte L. Muellerus p. 109 sq.

1) Haec igitur pedum uarietas in sotadeis Varronis extat: – – ◡ ◡; ◡ ◡ – ◡ ◡; – ◡◡ ◡◡; ◡◡ ◡◡ ◡◡ (Octog. I); – – –; – ◡ – ◡; – ◡ – –; – ⏑ – ◡ (Prom. VII. Sesq. XXI); – – ◡◡; (– ◡◡ – ◡).

aestimat, male utens. His uersibus Lachmannus etiam addidit *Ἄλλ. οὔτ. Ἡρ.* I, qui est sotadeus nulla emendatione egens, et *Γνῶθ. σ.* VII quem locum propter uicina anapaestis describere malui, hic quoque nil mutans.

Galliambos etiam Varro suis locis inseruit Cyen. I. Eum. XXXV sq. Marcip. XVI; in quibus quod semel clausulam adhibui librorum scilicet lectioni obtemperans '*iactánt tibi* | *galli*', sane admisi quod nusquam praeterea ni fallor legitur, ut duabus syllabis longis constet pes ultimus. Sed si memores sumus, huius pedis, qui, si quidem anaclasis deest quod non raro fit, hanc habet formam ⏑ ⏑ ⏓, syllabas duas priores Catullum c. 63, 13 in longam contrahere: '*dominaé uaga* | *pectóra*' (quam librorum lectionem mutandi propter sententiam causas nullas uideo), non spero condemnabor, qui solutionem ultimae Catullo relinquens duarum syllabarum ultimam praeeuntium contractionem eius auctoritate in Varronis uersu defendo.

Creticos deinde nonnullis locis inuenimus[1]) bacchiosque uersus, qui cum in Parmenone fragmentis inter se eodem caedendae siluae argumento cohaerentibus seruati sint (fg. IV—VII bacchiis, VIII—IX creticis uersibus constant), non tamen etiam uno eodemque loco *π. ἐξάγ.* IV leguntur, quem cum bacchiis incipere '*quemnám te esse dicam*' sqq. Enniana imitatio (u. adnot. ad h. l.) aperte doceat, non opus est cum Ribbeckio in media sententia ad creticos repente transire, sed sponte octonarii euadunt bacchiaci. Liberrime autem in his uersibus breuium syllabarum productione longarumque in duas utitur solutione.

Denique uerbo commemoranda sunt metra tunc demum Romae exculta, quorum nescio an ipse Varro primus auctor fuerit: glyconeum (Pseudaen. fg.), choriambicum trium pedum cum clausula iambica (Sesq. VI), phalaecium (Eudym. VII. Virg. diu. II—V[2])). Quibus e con-

1) *Ἔχω σε* III. Sesq. XXII sq. fg. inc. V.

2) Nam Bim. XX quod inter hendecasyllabos numerari solet, propter cohaerens fg. XXI uersus trochaici septenarii partem esse malui.

trario de saturnio metro dicendum est, cui postquam Hermannus in elementis doctr. metr. p. 640 Eumen. fg. VIII et IX uindicauit, non deerant qui et hoc probarent et alia quoque eidem metro iniungere temptarent[1]). Sed recte Buechelerus l. c. p. 429 sq. monet, Varronem, si forte hoc metro uetustate uenerabili uoluerit uti, alias saltem eo res quam quas dicit 'gruendliche Deductionen' tractaturum fuisse. Sed et haec partim pedestri sermone scripta sunt partim metris uindicanda aliis, et omnino cum Varronem Enni Plautique, non Andronici uel Naeui artem praecipue probasse maxime sit uerisimile, nisi grauissima cogent argumenta, a metro plus centum annis iam obsoleto[2]) in eum inferendo abstinendum erit.

Haec igitur de quibus dixi metra si enumerabis, uiginti inuenies quibus Varro usus est, quorum numerum, si iambica et trochaica in Graeca Italicaque diuidere uis ad sex et uiginti poteris augere, cum unum tantum inter septem illa sit metrum octonarium iambicum cuius non inuenio exempla Graecae seueritatis. L. Muellerus autem, cum p. 88 uiginti quattuor metra in saturis extare diceret, ionicum catalecticum et acatalectum et choriambicum metrum neglexit, saturnios autem praeterea adnumerat, quos ego detraxi. Haec autem metra an sola Varroni fuerint usurpata, cui compertum est? quis scit num quadraginta metra quae fere fuisse ille in Menippeis putat, non sit numerus etiam minor quam res poscat? Nam hoc certum est, Varronem operam dedisse, ut quantam posset uarietatem ui aliis in rebus sic in metris excoleret. Plurima igitur eius metra ex Ennio scaenicisue antiquis desumpta sunt, pars autem ante Varronem non uidetur in usu fuisse, sicut etiam sunt quae ipse postremus adhibuit. Medium igitur quendam inter uetustam poesim illamque, quae Augusti aeuo efflorуit, locum tenuit, id quod

1) Ribbeckius mus. philol. XIV 108 addidit Eum. X; L. Muellerus p. 89 Eum. III. XXII. Sexag. IV. V. VIII.

2) Versum saturnium a Macrobio VI 1, 37 Sueuio tributum, poetae Varronis ut uidetur fere aequali, Naeuio potius adscribendum esse mus. philol. XIX 310 proposui.

iam hucusque eo uidimus, quod primus erat, qui Graecam seueritatem uersuum iambicorum et trochaicorum parti intulit, uersusque claudos, ionicos, galliambos, glyconeos, choriambicos, hendecasyllabos, quantum scimus, Romae excoluit, postremus autem qui trochaicorum et iambicorum uersuum et uarietatem et frequentiam claudosque septenarios et ante Serenum aristophaneos in usu habuit.

Hunc medium locum Varronem obtinuisse in eis quoque uidebimus, quas nunc per saturam obseruationes de eo metricas pandam. Omnino enim antiquiorum uestigia sequitur in opprimenda *s* littera in finibus uerborum insequentibus consonantibus. Id quod in hexametro, uersu legibus seueris constructo, optime obseruatur, ubi legendum est *citu' celsu'* (Ag.), *pectu'* (*'Ανθρ.*), *diuiti'* (ibid.), *mortalibu'* (Capr. pr.), *bucinu'* (? Eum. XVIII), *sumptibu'* et *legibu'* (Man.), *magnu'* (Marcop.), *Enniu'* (*"Ον.*). In iambis trochaicisue haec sunt exempla in quibus Graeca seueritas ceteroquin adhibita breuem syllabam accipiendam ideoque *s* litteram delendam suadet: *uocibu'* (Eum.), *uoci'* et *gallu'* (*"Ον.*), *ceruu'* (Prans.), *opu'* (Quinq.), *pauoni'* (Sexag.). Sic bene *matri'* (Eum.) in galliambo, *insignitu'* (*"Εχω σε*) in cretico, *nubibu'* et *uehementiu'* (Sesq.) in sotadeo, uniceque recte *cornui'* (Eum.) in galliambo legitur. Quae omnia cum ita scribenda ut pronuncianda sunt Lachmannum in Lucr. I 186 secutus et utilissimum et rectissimum credam, nolo tamen longius hanc nouationem extendere quam in eos locos ubi Varronem ipsum hanc litteram pronunciari noluisse metricae leges prorsus certum reddunt [1]).

Syllabarum autem quantitatem eandem ubique obseruat, quam poetae recentiores, nisi quod '*Hannibalis*' (Herc. t. f. I) producta paenultima adhibendo '*Plautum et Ennium multosque alios ueteres*' sequitur, ut Valeri Probi apud Gellium IV 7 uerbis de huius formae auctoribus utar.

Synizeseos quoque non minorem quam priores liber-

1) In libris autem nullum eius scripturae Varronianae uestigium extat, nisi forte est illud quod Nonii Guelferbytanus p. 4 (Ag. VIII) *citu* prima manu exhibet, *s* ab altera demum adiecta.

tatem Varronem usurpasse exempla dubitatione uacua docent haec: *dĕorsum* (Caue c.) et *tŭus* (Eum. III) et *intrŏibit* (Mod. X), quae illi nunquam discretis uocalibus efferunt (cf. Ritschelius prolegg. p. CLX. CLXIV); *promisqŭe* (Capr. pr.); *fluctŭanti* (Eum. XLVI); *triclinĭaris* (Est m. m.); *aurĕos* (Sesq.); *ĕorum* (*Ὄν. λύρ.*). Praeterea sunt pauca quae ipsis uersibus ratione minus probabili constructis uerbisue mutatis euitari possent, id quod cum synizesim uel satis audacem Plautinisque (cf. Ritschelius prolegg. p. CLXIV) liberiorem esse concessam ea quae composui affirment, suscipere equidem nolo; sunt quae dico haec: *ieiunĭo* (Eum. IV); *sŭile* (ibid. XVI); *de eodem* (ibid. XVII); *belŭae* (ibid. XVIII); *buxĕis* (Sexag.). Quamquam de his omnibus L. Muellerus tacet, qui p. 426 synizeseos exempla Varroniana affert ad pedestria fragmenta pertinentia omnia praeter *iuuenĭlitas* (Tithon.), in quo duarum primarum contractio quam uult qua lege postuletur, cum proceleusmaticus simili Man. XV u. 2 exemplo defendatur, equidem non assequor.

Nouam uero et seueram rationem in positionis legibus obseruandis Varro tenuit, qui hac in re a scaenicorum licentia prorsus fere desciuit. Nam et muta cum liquida, quae apud illos nullam omnino uim positionis habet, Varroni post Lucilium (cf. L. Muellerus p. 430 sq.) syllabam praecedentem ancipitem facit, quare (quod unum Muellerus attulit) *agrum* (*Ἄνθρ.*) et *citrus* (*Γερ.*) et *repigrat* (Mod.) et *refrenato* (Papiap.) et *nigra* (Sexag.) syllabis productis leguntur, et aliarum quarumcunque binarum consonantium concursus uocalem praecedentem producere non potest tantum, sicut apud illos, sed omnino eam cogit fieri longam. Nam quam Roeperus praecipue et Vahlenus eius legis neglegentiam multis locis statuerunt, ea nullibi aliquam habet necessitatem, sed poetica omnia positionis lege seruata in metra sua optime conueniunt, quare Buechelerus l. c. p. 439 et qui idem de Lucilio quoque praedicat L. Muellerus p. 428 eam non neglegendam esse recte praeceperunt. Duo tantum in omnibus his fragmentis inueniuntur, quae aliquam

Varronis hac in re neglegentiam produnt: '*Insánia stáns*' (Eum. XLVI) in anapaesticis et '*orthŏpsalticum*' (*Ov. λύρ.* VI), quam licentiam uocabuli externa origine, praesertim cum o breui apud Graecos scribatur, excusandam esse puto; nam breuem quidem esse hoc loco syllabam fragmentorum I—VIII conexus Graeca arte sine ulla exceptione conscriptorum (u. p. 81) maxime ueri simile facit.

Hiatus denique exemplum nullum inueni, nisi forte *Ov. λύρ.* VIII '*ualete! — et me palmulis producite*' recte in libris se habet, quod suam haberet excusationem; attamen equidem praefero, quod coniecit Scaliger: '*ualete meque palmulis producite.*'

M. TERENTI VARRONIS

SATVRARVM MENIPPEARVM

RELIQVIAE

ABORIGINES

[*Περὶ ἀνθρώπων φύσεως*]

I (2 ed. Oehler.)

Múgit bouis, ouís balat, equi hínniunt, gallína 1
Pípat.

II (1)

Grúndit tepidó lacte satúr mola mactátus
Pórcus.

ABORIGINES [*περὶ ἀνθρώπων φύσεως*] Cf. Platonis *Ἀλκιβιάδης* [*ἢ περὶ ἀνθρώπων φύσεως*], Democriti *Περὶ ἀνθρώπου φύσεως ἢ περὶ σαρκὸς β΄* (Diog. L. IX 46), Stratonis *Περὶ φύσεως ἀνθρωπίνης* (Diog. L. V 59), Zenonis *Περὶ ὁρμῆς ἢ περὶ ἀνθρώπου φύσεως* (Diog. L. VII 4), denique ipsius Varronis logistoricus qui inscribitur Tubero de origine humana. In hac satura ea puto tractata fuisse (cf. prolegg. p. 27), quae Censorinus c. 4 'de origine humana' ex auctoribus permultis, inter quos remotissimi, tradidit. I Nonius p. 156, 23 Mercer. 'Pipare proprie gallinae dicuntur. Varro Aboriginibus *περὶ ἀνθρώπων* (*ανθρωπον* WL) *φύσεως* . . .' II Nonius p. 114, 24 'Grunnire dicuntur porci, quod eorum proprium uocis est. Varro Aboriginibus *περὶ ἀνθρώπων φύσεως* (*περι ανορωντων* HL. *περι ααορωντων* W *φυσεοο* H *φυσεος* LW) . . .' Cf. Suet. Prat.

Codices Nonii: B = Bambergensis. H = Harleianus. L = Leidensis. W = Guelferbytanus. — *Meinekii nomine diar. litt. antiq.* 1845 *p.* 737—741 *significo; Vahlenus = Coniectanea in Varr. satt. Menipp. L.* 1858; *Ribbeckius = mus. philol.* XIV 102—130; *Buechelerus = ibid.* XIV 419—452; *L. Muellerus = De re metrica poetarum Latinorum. L.* 1861. — 1 bos *ante Mercerum et Lachmannus ind. lect. hib. Berol.* 1849 *p.* 4. bouis *LW cf. prolegg. p.* 85 || *Sotadeos inuenit Lachmannus eosque conl. Nonio p.* 450, 8. 'Varro asinos rudere, canes gannire, pullos pipare dixit' *ita constituit*: Múgit bos, ouís balat, equi hínniunt, gallínae Pípat pullu', gánnit canis ét rudunt aselli, Grúndit *sqq. cf. fg. II. Alia uersuum conamina u. ap. Roeperum philol.* IX 571. XV 277 || 3 grunnit *edd. uet.* || tepido *Iunius.* lepido *HLW nisi quod* laepido *H m. pr.* || *Versus inesse Meinekius p.* 739 *agnouit; sotadeos*

III (3)

Sed neque uetulus canterius quam nouellus melior nec canitudini comes uirtus.

IV (4)

Itaque breui tempore magna pars in desiderium puparum et sigillorum ueniebat.

V (5)

Ita sublimis spéribus
Iáctato omnia ác uolitantis álios nitens trúdito.

AETHRIO

Aut frígidos nimbós aquae cadúciter ruéntis
Pertímuerunt aquátilis querquétulae natántes.

'. . boum mugire. equorum hinnire. asinorum rudere uel oncare. porcorum grunnire . . ouium balare . . canum latrare seu baubari. uulpium gannire . . . . gallinae crispire'. Alia eiusdem generis apud Reifferscheidium Sueton. rell. p. 249 sqq. extant. De subus delicis cf. Varro de r. r. II 4, 16. I et II ad sermonis humani originem pertinent. cf. Wilmanns de Varr. libr. gramm. p. 23 sq. III Nonius 82, 23 'Canitudinem pro canitie Varro Aboriginibus *περὶ ἀνθρώπων φύσεως* (*περι* HL. *ανερωτων* LW. *απνερωιων* H. *φυσεων* W) . . .' IV Nonius 156, 19 'Pupae et pupi Varro Aboriginibus *περὶ ἀνθρώπων* (*ανθρωπον* LW) *φύσεως* ...' V Nonius 171, 25 'Sperem ueteres spem dixerunt — — Varro Aboriginibus (Aborigine H) *περὶ ἀνθρώπων* (*ανορωπων* H m. s. L.) *φύσεως* . .'

AETHRIO. Nonius 91, 1 'Caduciter, praecipitanter Varro Aethrione (et ratione HLW et trionem 'codex' in ed. 1583) . . .'

Lachmannus restituit l. c. || 1 uetullus *H. m. pr.* uetulus *BH m. sec. LW* || *Septenarios post Roeperum Vahlenus p.* 70 *instituit* || 3 *Recte leguntur in LW* || 5 *ιτα LW, fortasse H* ita *om. Palatin. Basil.* || sublimes *Popma* || superibus *W* || 6 iactato *HLW.* iacta te *Prellerus ann. litt. Ienens.* 1847 *p.* 625 || nomina tuo *HL* nominatiuo *W* nominatiuo *cod. Victorin. Bas.* notio *cod. Doruill.* noto *Palatin.* nomine tuo *Reuuensius collectan. litt. p.* 121. *νώτῳ Grauertus.* iactator in otio *uir doct. apud Reuuensium.* natato maria *Popma.* iactato nomen ac *Vahlenus analectis Nonianis p.* 40. iactato omnia ac *scripsi* || uolitantis *H. m. sec. LW* uoluntatis *H. m. pr.* uolicantis *Palatin.* uolitantes *Basil.* || altos nitens *HLW* altos montes *Popma* alto nido extrudito *uel* excludito *Reuuensius* alios nitens *Prellerus* || *Alia excogitarunt Gerlachius, Oehlerus, Roeperus philol.* IX. 229 *sqq.* || *Iambicos Roeperus senarios, Vahlenus octonarios, ego trochaicos septenarios instituimus* ||

7 nimbos *W* aqua icta *HLW.* aquae ictu *Palatin.* aqua iacta *ante Ald.* aqua ista *Aldina.* aquae *Scaliger coniectt. p.* 37 cito ac *Buechelerus p.* 438, *qui* aqua *glossema putat.* || 8 pertimuerunt

AGATHO

I (1)

Pueri obscenis uerbis nouae nuptulae aures returant.

II (2)

Virgo de conuiuio abducatur ideo quod maiores nostri uirginis acerbae auris Veneris uocabulis imbui noluerunt.

III (8)

Δουλοπρεπέστερον qui meritat, hóminem se seruúm facit.

Mercerus ed. 1583 effecit 'Varro Erratione'; emendauit Vahlenus analectis Nonianis p. 27, qui Aethrionis Caecilianae fabulae memor Synephebum quoque Varronis e Caecili Synephebis nomen duxisse monet.

AGATHO De Socratis discipulo ut cogitandum sit praeter frg. VI conuiui mentio ad Platonis fortasse exemplar reducenda efficit. Sed ad Romanorum rationes omnia translata esse 'maiorum nostrorum' institutum frg. II commemoratum et Fescenninorum uersuum frg. I memoria docet. Cf. proll. p. 36. I Nonius 167, 4 'Returare aperire, contra id quod dicitur opturare. Varro Agathone (Agatone HLW). . .' et 356, 30 'Obscenum est immundum. Vergilius — Varro Agathone . . .' II Nonius 247, 17 'Acerbum, incoctum, praecocum, ut de pomis frequentius dicitur. Varro in Agathone: uirgo . . . noluerunt'. et 521, 3 'Inbuere consuetudo inducere [uel inficere] existimat, cum sit proprie maculare uel pollnere uel inficere Accius — Varro Agathone (sic B. Agatone HLW): ideo . . noluerunt'. III Nonius 345, 1 'Meret, humillimum et sordidissimum quaestum capit. Varro — — Varro Agathone: duloreste... facit, unde et merce-

---

HLW pertimuerint *Iunius* praeinnuere *Scaliger* pertimuere *Prellerus l. c. p.* 625. || aquatile *Scaliger.* || *Iambicos septenarios Iunius constituit* || 1 puer obcenos *W p.* 167 *m. pr.* || noue *H m. sec. W p.* 167 nouce *L p.* 357 || nuptae *HL p.* 167 nupte *W p.* 167 nuptule *W. p.* 357 nuptilae *L. p.* 357 || *post* aures *legitur* habeant *HLW p.* 167; *nonnulla per lacunam obruta uidentur.* aures restaurant *LW p.* 357 reiurant *Bern. no.* 347 *Geneu. p.* 357. redurant *ante Mercerum* returant *Iunius in mg.* obturant *Popma* || 2 abdicatur *edd. inde ab Aldina* || 3 acerbde *L p.* 247. acerbe *B p.* 521. || Venereis *Laurenbergius* || inbui *L m. pr. utroque loco* || noluerunt *H m. pr. LW p.* 247. noluerunt *H m. sec. p.* 247, *BHLW p.* 521 || 4 duloreste *L m. sec. W.* doloreste *L m. pr.* Varro Agathone [— — Pacuuius] Duloreste *Naekius ind. lect. Bonn.* 1822. *δουλοπρεπῶς Oehlerus. δουλοπρεπέστερον Duebnerus in 'Bulletin archéologique de l'Athenacum français'* 1855 *p.* 107 || qui merita *LW. δοῦλος ἔρως ἐστί Popma* qui meritat *Faber.* quia meret *uir doctus.* qui meret homo, se seruum *uir doctus apud Mercerum ed.* 1583. || hominem et seruum *LW.* hominem se seruum *Naekius* |

IV (3)

Vt pueri in aédibus
Saépius pedíbus offensant, dúm recentes músteos
In carnarió fluitare súspiciunt [petasúnculos].

V (7)

Numnam ín manu dextrá scyphus
Caeló dolitus ártem ostentat Méntoris?

VI (6)

Neque aúro aut genere aut múltiplici sciéntia
Sufflátus quaerit Sócratis uestígia.

VII (5)

Quid multa? factus sum uespertilio; neque in muribus plane neque in uolucribus sum.

narii et meretrices dicuntur'. IV Nonius 400, 14 'Suspicere est susum aspicere. Vergilius — Varro Agathone ...' Cf. Varro de r. r. II 4, 3 'Qui succidiam in carnario suspenderit'. De petasonibus musteis cf. Martialis XIII 55. V Nonius 99, 15 'Dolitum, quod dolatum uulgo dicitur, quod est percaesum uel abrasum uel effossum. Varro Agathone (Agatone W)...' Nonius 436, 14 'Caelare insculpere. Vergilius — Varro Agathone (Agatone L W)...' Cf. Plinius N. H. VII 127 'Phidiae Inppiter Olympius cotidie testimonium perhibet, Mentori Capitolinus et Diana Ephesi, quibus fuere consecrata artis eius uasa.' et XXXIII 154 'Mirum auro caelando neminem inclaruisse, argento multos. maxume tamen laudatus est Mentor de quo supra diximus. quattuor paria ab eo omnino facta sunt, ac iam nullum extare dicitur Ephesiae Dianae templi aut Capitolini incendiis. Varro se et aereum signum eius habuisse scribit'. et praecipue XXXIII 147 'Lucius uero Crassus orator (emptos habuit) duos scyphos Mentoris artificis manu caelatos sestertiis C'. VI Nonius 46, 28 'Sufflatum dicitur proprie tumidum et erectum et quasi uento quodam elatius factum. Varro Agathone ...' VII Nonius 46, 33

---

1 et *LW* ut *Vahlenus p.* 79 || 2 offensant *LW*. offensum *Geneu.* offendunt *Luc. Muellerus p.* 418 || recentes *LW, quod Vahlenus pro glossemate uocabuli* musteos *habet, quare delet scribens* petasones musteos || 3 fluitare *LW*. fluitantes *Laurenbergius* || *Trochaicos septenarios Vahlenus aliterque cum L. Muellero Roeperus philol.* XVIII 447 *instituit*; *ego Roeperum secutus sum, qui et illud* petasunculos *suppleuit* || 4 numquam *W p.* 99. numnam *HL p.* 99. *LW p.* 436 || caelatus *post* '*numnam*' *libri bis* (celatus *W p.* 99, *Duebnerus l. c.*), *quod glossema puto uocum* '*caelo dolitus*' || scifus *HLW p.* 99. scyfus *LW p.* 436 || 5 celo dolitus *HLW p.* 99. coeloque dolitus *Carrio emendd.* II 16. caelo politus *Duebnerus* || *Senarios H. Iunius constituit* || 6 multiplicii *L* || 7 querit *H* || *Senarios constituit idem* || 9 uolucribu' *Oehlerus* || *Senarios effinxit Iu-*

VIII (9)

Haéc postquám dixít, cedít citu' célsu' tolútim.

[Spurium (4)

Quid trístiorem uídeo te esse quam ántidhac,
Lampádio? numquid fámiliaris fílius
Amát nec spes est aúxili argentária,
Ideóque scapulae métuunt uirgindémiam?]

AGE MODO.

I (1)

Argó citirémem

II (2)

Charisius p. 66, 17 K. 'Quamuis ueteres hic Aenea

'Vespertilio, animal uolucre biforme, dictum quod uespero se ad uolatum proferat noctis. Varro Agathone . . .' VIII Nonius 4, 1 'Tolutim dicitur quasi uolutim uel uolubiliter. Plautus — — — Varro Agathone . . .' Celsus equitem significat cf. Festus Pauli p. 55 'Celsus a Graeco κέλλειν dictus' et Granius Licinianus p. 4 ed. Bonn. 'Et equites celsos dixerunt' cl. ibid. p. XXII. Spurium. Nonius 187, 8 'Virgindemiam ut uindemiam, hoc est uirgarum adparatum uel demptionem uel decerptionem ob uerbera. Varro Agathone . . .' Hunc locum Ribbeckius (Com. lat. rell. p. 111 sq.) comico incerto tribuit, e cuius comoedia fortasse eum Varro attulerit, fortasse librariorum neglegentia eum cum inscriptione Varroniana coniunxerit. Prius probarunt Vahlenus Conii. p. 13 et Buechelerus mus. philol. XIV 424 qui a uocabulo 'antidhac' Varronis aetate diu oblitterato proficiscens de Naeuii Lampadione cogitat. Alteram sententiam Roeperus philol. XVII 89 amplexus est scribendo 'Varro Agath[one . . . Naeuius Lampadi]one'. Quam ueram iudico.

AGE MODO. Inscriptionem non cum Oehlero prouerbialem, sed e communi uitae usu petitam puto. I Charisius p. 118, 8 K. 'Hanc.

---

nius, prosam orationem Duebnerus l. c. agnouit || 1 citu *W man. pr.* citus *W man. sec. L. De elisa s littera cf. prolegg. p.* 88. || 2 uideod esse *Carrio emendd.* II 16 || te *om. cod. Carrionis* || quam antidhac *Rolandius apud Gulielmum in Plaut. Trinumm. c.* 2 *et Carrio* quam angit hac *WL* quam agit hanc *H m. pr.* quam angit hanc *H m. sec.* quem angit haec *Scaliger conii. p.* 198; *similia Iunius et Gifanius* || 3 Lampadionem quid *HLW.* Lampadion? quid *Iunius.* Lampadion? ecquid *Gifanius.* Lampadio? numquid *Mercerus* || familiares *HLW* familiaris *ed. Non.* 1526 || 4 amat haec spes *HLW* amatne? spes *Scaliger* amat nec spes *Gifanius, Carrio* || argentarii *Gifanius* || 5 uirgarumdemiam *HLW.* uirgindemiam *edd.* uirgidemiam *Scaliger* || *Senarios Iunius eiusque aequales constitue-*

dixerint sine s, ut Varro in Age modo'. Idem p. 120, 32 'Hic Aenea sine s Varro dixit in Age modo'.

III (3)

Terra culturae causa attributa olim particulatim hominibus, ut Etruria Tuscis, Samnium Sabellis.

AIAX STRAMENTICIVS

Acre aeger medicos exquisitim conuocabat ut conualesceret.

ΑΛΛΟΣ ΟΥΤΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ

I (2)

.' Grauidaque máter peperít Ioui puéllum.

Argo Varro Menippeus in Age modo . .' III Philargyrus in Vergil. Georg. II 167 'De Sabellis Varro in Age modo sic ait . . .'

AIAX STRAMENTICIUS. Inter pseudotragoedias referendum Ritschelius proposuit mus. philol. XII 152; at u. prolegg. p. 31 sq. Argumentum saturae fortasse ridicule commutatum ex fabula quae legitur apud Pausan. III 19, 12 'Πολέμου γὰρ Κροτωνιάταις συνεστηκότος πρὸς τοὺς ἐν Ἰταλίᾳ Λοκροὺς, τῶν Λοκρῶν κατὰ οἰκειότητα πρὸς Ὀπουντίους Αἴαντα τὸν Ὀϊλέως ἐς τὰς μάχας ἐπικαλουμένων, ὁ Λεώνυμος Κροτωνιάταις στρατηγῶν ἐπῄει τοῖς ἐναντίοις κατὰ τοῦτο ᾗ προτετάχθαι σφίσι τὸν Αἴαντα ἤκουε. τιτρώσκεται δὴ τὸ στέρνον καὶ, ἔκαμνε γὰρ ὑπὸ τοῦ τραύματος (cf. fragm.). ἀφίκετο ἐς Δελφούς. ἐλθόντα δὲ ἡ Πυθία Λεώνυμον ἀπέστελλεν ἐς νῆσον τὴν Λευκήν, ἐνταῦθα εἰποῦσα αὐτῷ φανήσεσθαι τὸν Αἴαντα καὶ ἀκέσεσθαι τὸ τραῦμα. χρόνῳ δὲ ὡς ὑγιάνας ἐπανῆλθεν ἐκ τῆς Λευκῆς, ἰδεῖν μὲν ἔφασκεν Ἀχιλλέα, ἰδεῖν δὲ τὸν Ὀϊλέως καὶ τὸν Τελαμῶνος Αἴαντα' sqq. Nisi forte simplicius de stramenticiis hortorum agrorumque custodibus cogitabitur, qui feris et auibus perinde terribiles sunt ac pecudi olim fuit Aiax ille insanieus; ut fere Oehlerus explicat. Ceterum cf. Apollodori Geloi Ψευδαίας comoedia apud Suid. s. n. et Polluc. X 138. I Nonius 513, 28 'Exquisitim Varro Aiace strameuticio (stramentitio H m. pr. Aice stramentio B)...'

ΑΛΛΟΣ ΟΥΤΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ. Cleanthem Stoicum nobilissimum hac inscriptione significari Krahnerus de Varr. phil. p. 7 perspexit, cf. Diog. Laert. VII 169 sq. 'Φασὶ δὲ καὶ Ἀντίγονον αὐτοῦ πυθέσθαι ὄντα ἀκροατὴν, διὰ τί ἀντλεῖ; Τὸν δ' εἰπεῖν· Ἀντλῶ γὰρ μόνον; τί δ' οὐχὶ σκάπτω; τί δ' οὐκ ἄρδω καὶ πάντα ποιῶ φιλοσοφίας ἕνεκα; καὶ γὰρ ὁ Ζήνων αὐτὸν συνεγύμναζεν εἰς τοῦτο, καὶ ἐκέλευεν

---

runt || 3 culture *Vaticanus* 3317 *fol. saec* XI || 5 acre *HLW.* atre *B.* hac re *Turnebus aduu.* XXVIII 12; *Gulielmus in Bacchid. c.* 5; *Erycius Puteanus (?) in exemplari a Hertzio* nunt. *doct. Monac.* 1845 *p.* 507 *adlato.* acre *delet ut glossema Duentzerus diar. litt. antiq.* 1848 *p.* 490 || exquisitum conuocauas *B.* conuocabat *Turnebus* conuocabas *HLW* || conualesceret *BHLW.* conualesceres *Popma* || 7 grauida quas *Parisiensis* 7496 *s.* IX. grauidae quae

II (1)

Macrobius Saturn. III 12, 5 'Salios autem Herculi ubertate doctrinae altioris adsignat (*sc. Maro*), quia is deus et apud pontifices idem qui et Mars habetur. Et sane ita Menippea (Menippa *P*) Varronis adfirmat, quae inscribitur *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς*, in qua cum de Inuicto Hercule loqueretur, eundem esse ac Martem probauit'.

AMMON METPEIC

[*Περὶ φιλαργυρίας*]

I (1)

Nos bárbari, quod ínnocentes ín gabalum suffígimus
Hominés, et uos non bárbari, qui nóxios absóluitis?

ὀβολὸν φέρειν ἀποφορᾶς. Καί ποτε ἀθροισθὲν τὸ κέρμα ἐκόμισεν εἰς μέσον τῶν γνωρίμων καί φησι· Κλεάνθης μὲν καὶ αλλον Κλεάνθην δύναιτ' ἂν τρέφειν, εἰ βούλοιτο· οἱ δὲ ἔχοντες ὅθεν τραφήσονται παρ' ἑτέρων ἐπιζητοῦσι τὰ ἐπιτήδεια, καίπερ ἀνειμένως φιλοσοφοῦντες. Ὅθεν δὴ καὶ δεύτερος Ἡρακλῆς ὁ Κλεάνθης ἐκαλεῖτο.' I Priscianus VI p. 231, 13 'Non est tamen ignorandum, quod etiam hic puerus et hic et haec puer uetustissimi protulisse inueniuntur et puellus puella. Lucilius — — Varro in satura quae inscribitur *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς* (*αλλας* Sangall. *αλλα.* ὁ^ις Bern. man. sec. Graeca om. Halberstadtiensis *αλοκουτος* (λυ) *ερακαες* Lugd. *αλλουκουτως* (sed non sic) *ηρακλης* (hercules) Lugd. in marg. *ηρακαης* Caroliruh. *ερακαες* Sangall.) . . .'

AMMON METPEIC. Prouerbium a Zenobio I 80 et Diogeniano Vindob. I 38 '*ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων καὶ ἀνεφίκτων*', a Diog ibid. 15 et in mantissa prouerbb. (u. Leutschii Corp. prouu. II 745 sqq.) '*ἐπὶ τῶν ἀνήνυτα ποιούντων*' explicatum et litteris librorum optime conueniens et additamento illi *περὶ φιλαργυρίας*, quippe quod uitium non magis satiari posse quam peruenturum esse ad finem qui sabulum numeret hac satura tractetur; cf. maxime fg. III. Iunius Varroni prouerbium restituit (*ἀλλ' οὔ μοι ἔνευσε περὶ μαρτυρίας* Turnebus adu. XXI 20. *Ἄλλοις μέλεις* idem XXIX 2. *Ἀμοῦ μενεῖς* Rothius). I Nonius 117, 13 'Gabalum crucem dici ueteres uolunt. Varro

---

Bernensis non ante s. X scriptus. grauidaque *reliqui* || *Lachmannus in Lucr.* IV 1275 *addito* aluo *post* mater *tetrametrum acatalectum ionicorum a pyrrhichio incipientium effecit, quem in duos dimetros Buechelerus p.* 431 *soluit. Sed mutatione non opus est, cum sit sotadeus prima syllaba mancus, quod perspexit Roeperus philol.* XVIII 455 || 5 de multo Hercule *libri Iani ABGSP7.* de Hercule *P.* de Hercule multa *edd.* de Inuicto Hercule *Mommsenus Corp. Inscr. Lat.* I *p.* 150 || 7 quod nocentes *Mercerus* || 8 et uos *Vahlenus p.* 213. uos *LW* || quid noxios obuestis *LW* quod noxios absoluitis *ed.* 1526 soluistis *Mercerus* qui noxios *Rothius* consuestis *Oehlerus*

II (2)

Quaero te, utrum hoc adduxerit caeli temperatura an terrae bonitas?

III (3)

Etenim quibus seges praebeat domum, escam, potionem, quid desideremus?

IV (4)

Quém secuntur cúm rutundis uélitis leués pármis,
'Antesignaní quadratis múltisignibús técti.

ANDABATAE

I (1)

Non mirum si caecuttis; aurum enim non minus praestringit oculos quam 'ὁ πολὺς ἄκρατος'.

Ἄμμον μετρεῖς περὶ φιλαργυρίας (*δμουμεμειοπεριφιααρτυραν* LW)...' II Nonius 179, 10 'Temperatura pro temperie Varro *Ἄμμον μετρεῖς περὶ φιλαργυρίας* (*αααου μααεις* [*μεααεις* W] *ρεριαο* HLW)...' III Nonius 395, 16 'Segetem etiam ipsam terram dicimus. Vergilius — — Varro *Ἄμμον μετρεῖς περὶ φιλαργυρίας* (*δμοιμεμθις περι* HLW. *φιλλρτυρια* H *φιλαρτυριλ* L *φιααργυρια* W)...' IV Nonius 552, 25 'Veles, leuis armatura. Titinius . . Varro *Ἄμμον μετρεῖς περὶ φιλαργυρίας* (*αμουμενεισε περι μαρτυριας* [*μλρτυριας* W] BHLW): quem . . parmis'. Nonius 553, 8 'Antesignanorum proprietas aperta est. Varro *Ἄμμον μετρεῖς περὶ φιλαργυρίας* (*αμουμενεισε* BH m. pr. L *αμουμεμεις* H m. sec. W. *περυ* B *περια* HL m. pr. *περι* L m. sec. W, *μαρτυριας* BHLW): quem ... tecti'.

ANDABATAE. 'De hominum caecitate et errore' Turnebus adu. XVII 23. Krahnerus de Varr. philos. p. 20 sq. animarum in caelum ascensum aliarumque descensionem, quae sibi obuiae andabatarum more inter se pugnent, describi putat. Ego potius philosophorum diuersorum *λογομαχίαν* infuisse conicio; nam 'clausis oculis andabatarum more pugnare' (Hieronymus adu. Iouin. I 36) philosophorum esse Menippo suisque erat persuasissimum; cf. prolegg. p. 21. De anima

---

consuitis *Vollbehrius diar. litt. antiq.* 1847 *p.* 531 | *Iambicos octonarios inuenit Vahlenus p.* 213 | 1 quaero te *HLW* quaero ex te *Iunius* quaero a te *Roeperus philol.* XV 291 | 2 terrai *idem septenariorum suorum causa* | adduxarit *W m. pr.* | 3 aescam *W* escam *HL* 5 quem rutundis *H m. pr. p.* 552 cum retundis *W m. pr. ibid.* cum rututundis *L m. pr. ibid.* cum rotundis *B ibid. et p.* 553 | pareans *BHLW p.* 552, nisi quod *W m. pr.* parcans *et L m. pr.* parens. parmis *BHLW p.* 553. parmeis *Vahlenus p.* 86 | 6 antesignant *L m. pr. B.* | multis insignibus *BHLW* multi insignibus *Meinekius p.* 737 cultis insignibus *Erycius qui Hertzio uidetur.* multisignibus *Laehmannus in Lucr.* II 402 | 7 caecutis *H m. pr. L* 8 *Graeca desunt H*

II (2)

'Edepol' idem 'caecus, non lusciosus' est.

III (3)

Néc manus uiscó tenaci tínxerat uirí cástas.

IV (4)

Et me Iuppiter Olympiae, Minerua Athenis suis mystagogis uindicassent.

V (5)

Mortáles multi rúrsus ac prorsús meant.

VI (6)

Sed quod haec loca aliquid genunt.

a corpore diuersissima alter colloquentium uidetur disputare (fg. IX sqq.), alter naturales magis res causasque profert (fg. VII sq.). Atque etiam conuicia inter se fundunt, ut solent apud Lucianum philosophi, auaritiamque alteri alter obicit (fg. I; cf. III). Sed meliora proferenti lubens obtemperabo. I Nonius 34, 29 'Praestringere dictum est non ualde stringere et claudere. Plautus — — Varro Andabatis . . .' II Nonius 135, 10 'Lusciosi qui ad lucernam non uident et moeopes uocantur a Graecis. Varro — — Idem Andabatis . . .' III Nonius 267, 11 'Castum, a furtis et rapinis abstinens. Varro Andabatis . . . (sc. auaritia)'. IV Nonius 419, 4 'Vindicare trahere, liberare. Vergilius — — Varro Andabatis . . .' Cf. Cic. in Verr. IV 59, 132 'ei qui hospites ad ea quae uisenda sunt solent ducere et unum quidque ostendere, quos illi mystagogos uocant'. V Nonius 384, 29 'Rursus, retro. Vergilius — Varro Andabatis . . .' Hoc maxime loco Krahnerus utitur u. supra. Mihi hominum turbae negotiosae designari uidentur. VI Priscianus X p. 528, 25 'Gigno genui, pro quo geno uetustissimi protulisse inueniuntur. Varro in Andabata . . .' Macrobius de diff. et soc. graec. lat. q. uerb. 23, 8 'Genui ex quo themate uenit, nullus scit licet Varro dixerit genunt'. In-

---

ὁ *deest L* ποαυς ανκρατος *LW* ὁ πολὺς ἄϋκρατος *codd. Merceri* ὁ πολὺς ἄκρατος *Mercerus post uana priorum conamina. Meinekius p.* 737 *Menandri monostich.* 420 *recte comparat* 'ὁ πολὺς ἄκρατος ὀλίγ' ἀναγκάζει φρονεῖν.' || 1 cecus *W* caecus *HL* || *Locus e Plauti Mil. glor.* II 3, 51 'edepol tú quidem Caécu' s, non luscitiosus' *libere translatus uidetur cf. prolegg. p.* 77, 68. *Ritschelius de Varronis disciplinarum libris p.* 17 *locum lacunosum esse Varronianaque simul cum Plautina inscriptione excidisse putat* | 2 uiscoὴ *L* tinexerat *L* tinxerat *W* || casta *LW* castas *lib. uar. lect. in ed. Mercer.* 1583 || uiris castas *seu* auaritia *Costa* auri casta *Oehlerus* tincta erat uiri casta *Meinekius p.* 737 *qui metrum primus agnouit.* tinxerat sibi casta *Vollbehrius diar. litt. antiq.* 1847 *p.* 531 || 3 Olimpie *LW* || mystagotis *LW* || 5 porsus *W teste Rothio, ego nil adnotaui* prorsus *L* || 6 haec sola *Popma, Krahnerus de Varr. philos. p.* 20 ||

VII (11)

Cándidum lacte é papilla cúm fluit, signúm putant
Pártuis, quod híc sequatur múlierem e partú liquor.

VIII (7)

Ideoque alterum appellamus a calendo calorem [uel caldorem], alterum a feruore febrim.

IX (8)

Sed quiduis potius homo quam caruncula nostra.

X (10)

In reliquo corpore ab hoc fonte diffusast anima; hinc animus ad intellegentiam tributus.

XI (9)

Anima ut conclusa in uesica, quando est arte ligata, si pertuderis, aera reddet —.

certi fragm. de uerbo in analectis grammaticis ed. Eichenfeld et Endlicher p. 176 'Genuit ex quo themate ueniat, nullus expressit, licet Varro aliique ueterum dixerint genunt'. VII Nonius 483, 1 'Lacte nominatiuo casu ab eo quod est lac. Ennius — — Varro Andabatis: candidum . . fluit'. Nonius 486, 3 Parti et partuis pro partus. Pacuuius — — Varro Andabatis: candidum . . . liquor'. VIII Nonius 46, 19 'Febris proprietatem a feritate morbi uel mali. ut a calendo calorem uel caldorem Varro Andabatis aperiendam putat . . .' Animaduertas quaeso Noni stuporem feruorem a fero deriuantis. IX Priscianus VI p. 209, 2 'Itaque eius quod est caro diminutiuum caruncula est, ut uirgo uirguncula, ratio ratiuncula. Varro in Andabata . . .' Lexicon saec. XII exaratum apud Maium in class. auctt. VIII p. 119 'Haec carnula, ae . . quod etiam haec caruncula, ae dicitur; unde Varro . . .' X Nonius 426, 26 'Animus et Anima hoc distant: animus est, quo sapimus, anima, qua uiuimus. Accius — — Varro Andabatis . . .' XI Nonius 241, 26 'Aer, sonus.' Varro Andabatis . . .'

---

1 lacte papilla *BHLW p.* 483 *et* 486 lacte e papilla *Erycius* (*u. p.* 98), *Oehlerus* | c̃ fluit *W p.* 483 confluit *BHL p.* 483 | putane *W p.* 486 | 2 a partu *Carrio emendd.* II 16, *qui uersus quoque constituit.* | 3 ideoque *Rothius* idque *HLW, om. Popma* | calorem *HLW* caldorem *L. Muellerus p.* 84, *qui tetrametros putat hipponacteos* calorem uel caldorem *scribendum Nonii lemmatis uerba docent* 5 quamde *pro* quam *scribendo hexametrum*, mi homo *ponendo senarios Fleckeisenus apud Hertzium temptauit* | quiuis, *omisso* sed, *lexicon* | o homo *Popma* nostra est *lexicon* || 6 in reliquo *H m. pr. L* in reliquo *H m. sec. W* in rellicuo *Vahlenus p.* 174 | diffusast *Vahlenus* diffusus *HLW* diffusa est *edd.* || ad intelligendum *Oehlerus* | *Sotadeos Vahlenus l. c. constituit, Buechelerus p.* 431 *prosam agnouit* | 8 arcte *Iunius* | 9 perfuderis ᶜ *W. G. Mss. Merc. Ba. mg. Iun.*' *Basileen-*

ΑΝΘΡΩΠΟΠΟΛΙΣ

[*Περὶ γενεθλιακῆς*]

I (1)

Vulgóque auarus fénerator spé lucri
Rem scríptione dúplicarat.

II (2)

Nón fit thésauris, non aúro péctu' solútum;
Nón demúnt animís curás ac rélligiónes
Pérsarúm montés, non átria díuiti' Crássi.

III (3)

Dotís dato insulám Chrysam, agrum Caécubum, seplásia
Capuaé, macellum Rómuli.

ΑΝΘΡΩΠΟΠΟΛΙΣ Hoc nomine mundum dici Oehlerus uidit. Fateor tamen me nescire et quid significet ille qui *περὶ γενεθλιακῆς* addidit, et quonam cum saturae argumento conexu fragmenta, ad auaritiam omnia fere spectantia, cohaereant. *Ἀνθρωποῖται* Turnebus XXI 20. *Ἀνθρωπογόναι ἢ περὶ γενεθλῆς* idem XXIX 2. *Ἄνω ποταμοί* Iunius animadu. p. 262; qui in ed. Non. titulum restituit. I Nonius 174, 15 'Scriptione pro scriptura. Varro *Ἀνθρωποπόλει περὶ γενεθλιακῆς* (*ανθρωποποαι* LW. *περιτεθλιδικες* L *περγενεολιαικες* W) . . .' Scriptio est syngrapha, cui qui subscribit pecuniam a feneratore se accepisse testatur. II Nonius 379, 8 'Religio metus uel sollicitudo. Varro *Ἀνθρωποπόλει* (*ανθροποιτοαι* W. *ανοροπογγοαι* L) *περὶ γενεθλιακῆς* (*γενεθαιακης* W. *τενεθαιαισην* L) . . .' Cf. Plautus Pers. I 1, 24 'Persarum Montis qui esse aurei perhibentur'. III Nonius 226, 14

---

sibus testibus. Sed Mss. Merc. et mg. Iun. pertuderis *exhibere liquide affirmare possum, quare in W quoque* pertuderis *extare e silentio collationis meae concludere audeo.* pertuderis *etiam L, Bernenses ut uidetur duo* percuderis *Aldina.* perculeris *Iunius* || reddit *Oehlerus* || *Aristophaneos Meinekius p.* 737 *inuenisse sibi uisus est, scribendo siue* quandoque *siue* arcteque || 1 fanerator *W m. pr.* fenerator *LW m. sec.* || *fortasse* bulgaeque aurarus? *cf. Octog.* III. *Sexag.* XV || *Versus constituit Oehlerus* || 3 thensauris *L. m. pr.* || pectus *LW* | non auris demunt (demut *W* demuunt *L m. pr.*) animis *LW* || 4 religiones *LW* | non demunt animis *Iunius* || pectu' — non animis demunt — relligiones — diuiti' *Scaliger catal. p.* 233 || 5 diuites *LW* || Croesi *Camerarius ap. Lips. epistt. quaest.* I 4 || *Hexametros restituit Iunius* || 6 doti *Aldina* || insolam *LW* || chrisam *W m. pr.* chriam *W m. sec. L.* Chium *Aldina* Chrysam *Mercerus* | accubum *LW* Caecubum *Aldina* || *Scenarios Iunius et qui* Chrysam insulam *ordine inuerso ponit Langius quaestt. metr. p.* 40 *insti-*

IV (4)

Et Hymenaeus, qui primo lauere aluum marsuppio solet.

V (5)

Ὑπέρβατον ne dares: ne polliceres quod datum est.

VI (6)

Non modo uinum dare sed etiam, ut Plautus ait, 'múrrinam, passúm, defrutum'.

ARMORVM IVDICIVM

I (2)

Illíc uiros hortári, ut rixarént praeclari philósophi.

'Seplasium generis neutri. Varro *Ἀνθρωποπόλει περὶ γενεθλιακῆς* (— *πολπισρι τενεθλιακπς* L. — *ποαι τενεθλιακης* W) . . .' Plinius N. H. VI 80 'Extra ostium Indi Chryse et Argyre, fertiles metallis ut credo. Nam quod aliqui tradidere, aureum argenteumque eis solum esse, haut facile crediderim.' IV Nonius 503, 23 'Lauit pro lauat Vergilius — — Varro *Ἀνθρωποπόλει περὶ γενεθλιακῆς* (*ανθρω*[*ο* B]*ποποαι περι* BHLW *τενεοαιακης* BW *τενεοιακης* H m. pr. L. *τενεαοιακης* H m. sec.) . . .' V Nonius 471, 11 Pollicere pro polliceri (polliceris BHLW; emend. Mercerus) Varro *Ἀνθρωποπόλει* (anoputio*ποαι* HW anoputio*πολι* BL) *περὶ γενεθλιακῆς* (*πεκ* HLW *ιτεκ* B. *λενεελιλκης* B *ανεεαιακης* H m. pr. *αενεελιακης* H m. sec. *λενεελιακης* L *αενεαιακης* W) nam in omnibus' sqq. u. adnot. crit. VI Nonius 551, 6 'Murruna potio confecta. Varro *Ἀνθρωποπόλει* (Antro populi BLW; *π. γεν.* desunt) . . .' Cf. Plautus Pseud. II 4, 51: 'múrrinam, passúm, defrutum, mélinam, mel quoiquoímodi'.

ARMORVM IVDICIVM. Liber inter pseudotragoedias fortasse referendus cf. prolegg. p. 32. Tragoedias Pacuuius Attiusque et postea Pomponius Secundus (cf. tamen L. Muellerus p. 93) eo nomine scripsere, quos Aeschylus *Ὅπλων κρίσει* praeiit. Varro philosophos nescio cuius praemii causa certantes induxit. I Nonius 477, 21 'Rixat pro

---

tuerunt; octonarios cum L. Muellero p. 431 *posui* || 1 et *libri nisi quod H m. pr. et L m. pr.* cet || himeneus *BHW* hymeneus *L* || marsupio *BL m. pr. W m. pr.* || *Tetrametrum dicit L. Muellerus p.* 423 *trochaicum* || 2 nam in omnibus legi *ποαι* (*πολι B*) *πεκαο* (*ιτεκλο B*) *libri. His uerbis partem inscriptionis miro casu repeti Rothius uidit, sed insequentem uocem ὑπέρβατον ad eandem rem non debuit trahere υπερβλιτον B υπερβατον H m. sec. L m. pr. W υσπερβαιτον H m. pr. L m. sc.* legibus *καθ' ὑπέρβατον Mercerus* || polluceres *Palmerius* || quod *Iunius* quid *libri* || quid daturum *ms. Fabri* || 3 murmurena *BLW* murrhinam *Popma* murrinam *Plautus, Buechelerus p.* 448 || 4 defritum *LW* defructum *B, Plauti codex Vetus*, defrutum *reliqui* || 5 uiro ortari *B* || peclari *B* predari *L* || filosofi *L* philosophi *BHW* || *Octonarius iambicus esse uidetur* ||

II (1)

Vt in litore cancri digitis primóribus stare . . .

BAIAE

Quod non solum innubae fiunt communis, sed etiam ueteres puellascunt et multi pueri puellascunt.

BIMARCVS

I (25 Oehl. 1 Vahl.)

Cum Quintipor Clodius tot comoedias sine ulla fecerit Musa, ego unum libellum non ‘edolem’ ut ait Ennius?

rixatur Varro Armorum iudicio . . .’ II Nonius 427, 23 ‘Priores et primores hanc habent diuersitatem: priores enim comparatiui sunt gradus, primores summae quaeque res. Lucilius — — Varro Armorum iudicio . . .’

BAIAE I Nonius 154, 6 ‘Puellascere, ecfeminari uel reuiridescere. Varro Bais . . .’

BIMARCVS Cf. Oehlerus p. 100. Vahlenus p. 128 sqq. Ribbeckius mus. philol. XIV 119 sqq. Perperam comparatur a Vahleno Petronianus Trimalchio; id enim nomen *τρὶς μαλακόν* dicit, sed similiter Bimarcus non potest explicari. ‘Marcus’ primum est Varro (fg. III), et actum est *περὶ τρόπων* i. e. de Roma in peius iam mutata. Cuius mutationis in Bimarco hoc exemplum fuisse uidetur, ut Marco illi alius opponeretur Marcus, qui non potest describi accuratius, sed erat homo suo tempore gaudens. Tertia etiam persona adest Manius nescio quis. Fragmenta ita disposui, ut praefationi (I—III) subnecterem disputationem de *τρόπων* uocabulo (IV—V), deinde inueheretur Marcus Varro in Marcum aduersarium (VI—IX) ipsumque louem in tales inuocaret (—XIII), postea se defenderet homo elegans, qui uel ad funera parcorum senum inridenda procederet (—XIX). Adiunxi de poematis locos (—XXIII), qui ubique pariter importuni sunt; Varronis responsum (—XXV); denique epilogum quo Deos implorauit (XXVI). Ipsam fabulam saturae prorsus fere perdidimus. — Lipsius uar. lect. I 9 ‘Varro in Marco’ legere maluit. I Nonius 448, 10 ‘Edolare fabrorum est [uerum] uerbum, cum materiarum conplanatur asperitas. Vsi sunt eo laudandi scriptores uetustatis etiam ad alias fabricas rerum. Varro Bimarco (Vimarco BHLW) . .’ De Quintipore Clodio cf. Varro in epistula ad Fufium ap. Non. p. 144. 117. 425: ‘Si hodie noenum uenis, cras quidem si ueneris meridiem die natali Fortis For-

1 digitis *H m. pr. Buechelerus* 440 digitibus *H m. sec. LW* digitulis *Oehlerus* || *Senarios Vahlenus p.* 74, *septenarium trochaicum Fleckeisenus ibid., aristophaneum Buechelerus, sotadeos L. Muellerus p.* 433, *iambicum octonarium propter fg.* I *ego constituimus. Res ualde incerta* || 2 innube *LW* | communes *edd.* || set *L* sed *W* | 4 Dolius *B, ms. Elnonensis, ed. princ.* Clodius *HLW* Clodianus *Carrio* || comedias *H* || sine cura *ms. Fabri* || fecerit Musa *Iunius* fecerimus *BHLW* || 5 ‘edolem’ ut ait Ennius *scil.* ‘*uolentibus cum magnis Dis*’ *Vahlenus p.* 133, *a Buechelero p.* 424 *refutatus* || *Ennius Iphigenia u.* 274 *Vahl.:* ‘éxtemplo edoláni iussum: cóucitum

II (22. 10)

Τρόπων τρόπους qui nón modo ignorásse me
Clamát, sed omnino ómnis heroás negat
Nescísse.

III (14. 9)

Ebrius es, Marce: Odyssian enim Homeri ruminari incipis, cum *περὶ τρόπων* scripturum te Seio receperis.

IV (21. 4)

Ideo fuga hostium graece uocatur *τροπή*; hinc spolia capta fixa in stipitibus appellantur tropaea.

V (23. 5)

Κατάχρησις est enim uera, cum in candelabro pendet strigile.

tunae, Quintiporis Clodi Antipho fies (Clodiantforiae Nonius; de coniectura mea mutaui) ac poemata eius gargaridians dices: 'O Fortuna, o Fórs Fortuna, quántis commoditátibus Húnc diem'. Quem scilicet uersum e Terenti Phorm. V 6, 1 poeta pessimus surripuerat. II Nonius 530, 20 'Negatiuas duas negatiuam significantiam noue habere Varro Bimarco (Vimarco HLW Paris. 7666) . . .' III Nonius 383, 26 'Recipere promittere, polliceri. Varro Bimarco (Vimarce LW VI. marce Bernensis 83): ebrius . . receperis'. Nonius 480, 23 'Ruminatum Varro — Idem Bimarco (Vimarco BHLW): Odyssiam . . incipis'. IV Nonius 55, 10 'Tropaei significantiam propriam Varro Bimarco ostendit: . . .' V Nonius 223, 4 'Strigilim manifestum est esse generis feminini. Neutri Varro Bimarco (Vimarco LW) . . .'

---

tetuli gradum'. || 1 *τρπων τροτιους Parisinus* 7666 *περὶ τρόπων Mercerus, Mercklinus mus. phil.* XII *p.* 383 quo non *W m. pr.* qui non *HLW m. sec.* quae non *Iunius* || ignorare *Oehlerus* || 2 hero[h] as *W* || 3 nescisse quo ludis *Parisinus* || *Senarios Vahlenus inuenit p.* 137 || 4 *Ante* ebrius *lacuna septem litterarum in W* || Odissian *W p.* 383 *H p.* 480 Odissiam *WL p.* 480 Odyssiam *B p.* 480 Odyssian *L p.* 383 Odysseam *Popma* || rumirari *L m. pr. p* 383 ruminare *Klussmannus in Iahni ann. philol.* XIV *p.* 478 || 5 incipes *BH m. pr. LW p.* 480 incipis *H m. s. ib. LW p.* 383 incipies *ante Mercerum* || perit ropon *LW περὶ τρόπων Iunius* || seio *LW* scio *Iunius* sero *uel* serio *Erycius (cf. ad Aiac. stram.) p.* 508 Seio *Buechelerus p.* 421 || *Trochaicos septenarios fecit Roeperus philol.* IX 256, *octonarios iambicos Vahlenus p.* 28 *scribendo* ruminarier || 6 ostium *LW* ostium[h] *H* || 7 trope *HLW τροπή Iunius* || tropaea *W* tropea *HL* trophaea *Aldina τρόπαια Oehlerus* || 8 *καταχρῆσις L* || si *pro* cum

VI (17. 26)

Non te pudet, Mani, cum domi tuae uides commilitonum tuorum cohortis seruis tuis ministrare caementa?

VII (18. 24)

Socius es hostibus; sociis bellum ita geris, ut bella omnia domum auferas.

VIII (19. 25)

In inuidiam ueniant in hoc ipso rapinatores.

IX (7. 19)

Non Hercules potest, qui [cum] Augiae egisset *κόπρον*

X (4. 14)

. . . chortis cocorum atque hámiotarum aúcupumque.

VI Nonius 91, 33 'Caementa lapides non magni modi, quibus aedificia consurgunt (construunt?). Sisenna — Varro Bimarco: non ... caementa'. Nonius 196, 25 'Caementa neutri, ut est usus, Varro Bimarco (Vimarco LW): non ... cacmenta'. VII Nonius 248, 7 'Bellum est ut plerumque pugna. Bellum elegans, melius, prudens. Lucilius — Varro — Idem Bimarco (Vimarco HLW) ...' VIII Nonius 167, 20 'Rapinatores pro raptoribus Varro Bimarco (Vimarco LW) ...' IX Nonius 242, 16 'Agere (auerrere Vahlenus. angerere Ribbeckius) egerere (gerere libri nisi quod L m. pr. egere, Mercerum secutus sum) Varro Bimarco (Vimarco HL m. sec. W. Vimargo L m. pr.) ...' X Nonius 25, 8 'Hamiotas piscatores

---

Oehlerus || strigilis *LW* strigile *Oehlerus* || 1 commilitonum *L m. pr. p.* 92 *et* 196 commilitonum *L m. sec. W p.* 92 *et* 196 *H p.* 92 || 2 cohortes *LW p.* 196 || cementa *L m. pr. p.* 92 || 3 socis *H m. pr. Geneuensis* est *HLW* es *Geneuensis* sociis es hostis *Lipsius uar. lect.* I 9 socius es hostibus *Iunius* | socius bellum *HLW* cum sociis bellum *Lipsius* sociis bellum *Mercerus* geris *H m. pr. L* generis *H m. sec. W* || bella omā *H* || 5 inuidiam *LW m. sec.* inindiam *W m. pr.* || inuidiam inueniant *Oehlerus* || in hoc *LW* hoc *Popma* || 6 Ercules *H m. pr. W* Hergules *L m. pr.* Hercules *H m. sec. L m. sec.* || potes *libri Heluetici Barthii* pote *Ribbeckius p.* 123 || qui augebessed conpron *HLW, nisi quod W* conpron. quod augebes sed ampison *Bernenses ut uidetur duo* qui agebat asenocopron *libri Heluetici Barthii Ineptiunt Aldina, Popma.* qui Augiae egit *κόπρον Iunius in mg.* agebat *Turnebus aduu.* XXIX 20 egessit *Mercerus* auersit *Vahlenus p.* 144, *qui trochaicum instituit septenarium,* augessit *Ribbeckius, qui senarium. Locum de mea coniectura scripsi* || 7 cohortis *HL* chortis *W* cohortes *edd.* chortis

XI (1. 20). XII (2. 21)

Túnc repente caélitum altum tónitribus templúm tonescat,
'Et pater diuum trisulcum fúlmen igni féruido actum
Míttat in tholúm macelli.

XIII (3. 22)

Mágna uti treméscat Roma et mágnae 'mandonúm gulae'.

XIV (9. 18)

Nos ergo nihil egimus, quod legem Liciniam, luci claro latam, secuti, mane — —?

ab hamis Varro Bimarco uoluit appellari . . .' XI Nonius 180, 13 'Tonescit pro tonat Varro Bimarco (Vimarco LW): tunc . . tonescit.' XII Nonius 448, 18 'Sulcus omne quidquid in longitudiue aculeatum est dici potest — — Varro Bimarco (Vimarco BHLW): et . . . macelli.' VIII Nonius 17, 14 'Manducones qui manduci dicti sunt; et mandones edaces. Pomponius — Varro Bimarco (Vimargo HLW) . .' Cf. Lucilius ap. Non. h. l. frg. inc. 84 Gerl. 'atque omnes mandouum gulae'. XIV Nonius 210, 6 'Lux feminini est generis. ui Vergilius — Masculino Plautus — Varro Bimarco (marco L Vimarco W) . . .' Cf. Gellius II 24, 7: 'Lex Licinia . . . cum et carnis et salsamenti certa pondera in singulos dies constituisset, quidquid esset tamen e terra uite arbore promisce atque indefinite largita est'. Lucilius ibid. 24, 10 'Legem uitemu' Licini'. Sententiam Varronis abruptam ironia uere Varroniana sic continuo: 'mane demum a con-

---

Buechelerus p. 437 || amiotarum *L* || 1 celitum *W* || tonescat *scripsi* tonescit *LW* || *Trochaicum agnouit octonarium Vahlenus p.* 145. 2 feruido *cod. Basileensis* fruido *BHLW* || acutum *Basil.* actum *BHLW* acutum *edd., Vahlenus* || 3 mittat *BHLW* mittit *Roeperus de poes. Varr. reliq. quibusd.* 1858 *p.* 11 *et Buechelerus p.* 435 | tolum *H. m. sec.* tholum Marcelli *Basil.* || *Senarios Oehlerus, septenarium trochaicum cum uersu iambico uoce* actútum *incipiente Meinekius p.* 737, *Vahlenus p.* 145, *Ribbeckius p.* 123, *L. Muellerus p.* 413, *effinxerunt* || 4 ut tremescat *HLW* uti tremescat *Meinekius* ut intremescat *Roeperus l. c.* || *Septenarium trochaicum agnouit Meinekius* || *Fgg.* XI—XIII *Roeperus l. c. ita octonariis descripsit:* Túnc . . tonescit | 'Et pater . . actum | Mittit in th. macelli, mágna ut intr. R. et | Mágnae m. gulae: *idem philol.* XVIII 465 *praefert:* ut intr. Roma | Et mágnae m. gulae. *Buechelerus p.* 437 *sq. eadem habet usque ad* macelli, *deinde post lacunam fg.* X *et* XIII *secuntur* || 5 Lucanum *W* Lucani *L, om. Aldina* Lucanicam *uel* Liciniam *Oehlerus* Licini? *Ribbeckius p.* 124 || luci *om. L* || 6 scutulaus *LW* scutulanimus *Popma* sustulimus *Ochlerus* σκότῳ nitamus *Ribbeckius* ἐσκοτώ-

XV (10. 12)

Quod utrum sit magnum an paruum, facile an difficul.

XVI (11. 6)

Vt nouum cribrum nouo paxillo pendeat.

XVII (S. 13)

Ipsís istis dicíte labdac et uiuós contemnite, uíui;
Antícipate atque addíte calcar; stultós contemnite, dócti!

XVIII (24. 16)

Ipsúm propere uix líberti semiátrati exequiántur.

XIX (16. 2)

Inibi, cum dudum stili rostro papyri inleui scapos, concipio nouom partum poeticon.

'uiuio surreximus?' XV Nonius 111, 17 'Facul pro faciliter; huic contrarium est difficul. Lucilius — — Varro Bimarco (Bimarcho H) . . .' XVI Nonius 153, 4 'Paxillus deminutiuum a palo. Varro — Idem Bimarco (Vimarco W Vimarcho L) . . .' Prouerbium cf. Eumen. XIII. XVII Nonius 70, 9 'Anticipare posuerunt ueteres praeuenire, hoc est ante capere. Varro Bimarco . . .' XVIII Nonius 107, 3 'Exequiantur ab exequiis, ut conuinantur et epulantur. Varro Bimarco . . .' XIX Nonius 168, 13 'Scapum Varro Bimarco (Vi-

---

σαμεν *M. Hertzius. Locum de coniectura constitui* || 1 an paruum *W, om. L* || facul *Aldina* || *Kochius exercc. critt. p.* 19 *trochaicum septenarium construxit, Vahlenus p.* 139 *senarium putat* || 2 nouum paxillo *W* nouo paxillo *L* || 3 ipsis istis *Oehlerus* ipse fistis *HLW* sensistis *Aldina* depsistis *Scaliger catal. p.* 208 persensistis *Hermannus elem. doctr. metr. p.* 411. *Fortasse* spissis istis? || labdac *Scaliger* labdeae *HLW* || uictos *Scaliger, qui dimetros uidetur trochaicos significare. Aristophaneos G. Hermannus l. c. agnouit* || 5 propter uix *HLW.* proterui *Turnebus aduu.* XXVIII 12. propter uiam *C. F. Hermannus mus. philol.* IV 459 propere nix *Vahlenus p.* 61. 141, *qui aristophaneum agnouit.* topper uix *L. Muellerus p.* 146 || liberi *Laurenbergius* || 6 mihiq: diuidū stilo nro papiri (pari *W m. pr.*) noleuii (noleui *H m. pr.*) scapos capitio nouo partu poeticon *HLW*; *fragmentum deest Paris.* 7665 *et* 7667 || inibi cum dudum *scripsi* diuitum *ante Merc.* mihique ciui (*a uerbo ciendi*), dum *Oehlerus* mihique Dioui *uel* mihique nelut Ioui *Ribbeckius p.* 122 mihique diui, dum *Vahlenus p.* 134 || stili rostro *Roeperus philol.* XVIII 443 stilo obstetricio *Ribbeckius* Seiio nostro *Buechelerus p.* 422 || inleui *Rothius cf. Hor. serm.* I 4, 36 || 7 concipio *scripsi* capitis *Oehlerus* scapulo *Vahlenus* (n. part. p. *sc. adspirarunt*) capite ortumst *Ribbeckius* || nouum partum *Oehlerus* poe-

XX (13. 7)

Naútae remiuagám mouent celócem . . . . .

XXI (12. 8)

'Vt leuis tipúlla lymphon frígidos transít lacus.

XXII (20. 23).

Scéna quem seném Latina uídit derisíssimum.

XXIII (15. 11)

Ne mé pedatus [íste] uersuúm tárdor
Refrénet arte, cómprimo rhythmón sértum.

XXIV (6. 17)

Aui et ataui nostri, cum alium ac cepe eorum uerba olerent, tamen optume animati erant.

marco HLW) . . .' Cf. prolegg. p. 18. XX Nonius 532, 30 'Celox est nauigium breue, dictum a celeritudine. Plautus — — Varro — Idem Bimarco (Vimarco BHLW) . . .' XXI Nonius 180, 8 'Tipulla (tippula LW), animal leuissimum, quod aquas non nando sed gradiendo transeat. Varro Bimarco (Vimarco LW) . . .' XXII Nonius 100, 29 'Derisissimum disrississimum H m. pr. dirississimum LH m. sec. W dirissimum B, mg. W) Varro Bimarco (Vimarco BLW Bimarco H) . . .' XXIII Nonius 229, 21 'Tarditas generis feminini. Masculino Varro Bimarco (Vimarco HLW) . . .' Cf. prolegg. p. 18 sq. (ubi lacunam non rectè statui). XXIV Nonius 201, 1 'Cepe generis neutri. Lucilius — Varro Bimarco (Vimarco HLW) . . .'

---

tico *ed.* 1526 || *Senarios Roeperus descripsit.* || 1 *Fg.* XX (*quod recte legitur BHLW*) *hendecasyllabum dixit Meinekius p.* 737; *ego propter fg.* XXI *septenarium trochaicum puto haec addens:* celócem; [uolat in aéquore] 'Vt leuis *sqq.* || 2 ut *deest L* || tippula *LW* tipulla *ante Aldinum*; *sic uel* tippūla *Buechelerus p.* 451 || limfon *LW* || frigidis *L* || *Senarios Scaliger coni. p.* 139, *sept. trochaicum O. Muellerus ad Fest. p.* 366 *instituit* || 3 scena *BHLW quod mutare nolui cl. Varr. de l. l.* VII 96 scaena *Vahlenus p.* 146 || derisissimum *L m. pr. Ochlerus* dirisissimum *L m. sec. W* dirissimum *B*, *mg. W* disrisissimum *H* || *Septenarium troch. Vahlenus agnouit* || 4 pedatos *et* tardo (*non* tardu *quod est in ed.* 1842) *W m. pr.* || nepreuet (nep̃uet *W*) tarte *H m. pr. et tert. LW* nec̃uet tarcte *H m. sec.* nec me *et* refrenet arte *Popma* || 5 cumpritymon (prytinon *W testibus Basileensibus*) certum *HLW. Nil proficiunt Iunius et Popma.* tarde enim perit ῥυθμῶν sertum *Ochlerus* arte compari rhythmon certum *Vahlenus p.* 139 arte, cõmprimo rhythmon sertum *scripsi* || *Choliambos Vahlenus agnouit*, *qui* nimis *post* uersuum *adposuit:* iste *ego addidi* || 6 et ataui *H m. sec.* et aui *H m. pr. LW* ataui *Ribbeckius* ||

XXV (5. 15)

Cum nouissume putaret, quantum sumpti fecerit —.

XXVI (26. 3)

Vulcanumne cum nouae lagoenae ollaeue figurantur, ter precantur?

BVRRA

Placidi glossae apud Maium class. auctt. III p. 437 'Burrae uatroniae (uarronianae?): fatuae et (a *codex*; *correxi*) stupidae; a fabula quadam Vatronis (a satura quadam Varronis?) auctoris quam Burra inscripsit; uel a meretrice Burra'.

CAELEBS

Galli comportant carros aceruatimque positos —.

XXV Nonius 484, 25 'Sumpti pro sumptus Plautus — — Varro Bimarco (Vimarco LW VI. m B) XXVI Nonius 543, 7 'Aula uel olla, quam nos ollam (ollulam?) dicimus, sed est capacissimum uas. Plautus — Varro — Idem Bimarco (Vimarco BHLW) . . .' Cf. O. Iahnius act. soc. litt. Saxon. 1854 p. 46. ibid. 1857 p. 204. ibid. 1858 p. 200.

BVRRA. Hoc uerbo nugas dicit Ausonius praef. ad. Latin. Pacat. 3; cf. glossarium apud Maium in class. auctt. VII p. 553 quod eadem minus recte exhibet: 'Burrae elaroniae fatuae aut stupidae; a fabula quadam Buroni actoris quam Burra scripsit, uel a meretrice Burra'.

CAELEBS. Nonius 195, 25 'Carra neutri generis esse consuetudine persuasum est. Masculini Sisenna — Varro caei (cei W,

---

ceteri || 1 *πεψειν Voss. min. Magl. πψειν Thu.* pepsein *Pet.* Gr̃ *Reg. πεγειν Voss. mai.* || *Senarios Roeperus phil.* IX 246 *uoluit* || 4 *fg.* II *recte extul HLW* || 5 mirum si ex *Aldina* mirum ex *HLW* || 7 hercle si iam *scripsi* ercles iam *Vahlenus an. Non. p.* 9 ecclesiam *HLW Par.* 7667 e culina *cod. Fabri* Ecclesia: *Scaliger* || arcem *cod. Fabri* aream *Aldina* arctam *Turnebus* || impancrantur *quidam ap. Bentinum* impancratur *ed.* 1483 impancratiarunt *uel* impancratiant *Vahlenus* || 9 pessulis libratae *Cassellanus Serui, qui solus hoc fg. continet* ||

'Atque innixae [aéreae] in cárdinum túrbines
Tárdos —.'

† VI

Huic similis [ex] curis expedita lamentatur.

VII (4)

Macrobius Saturn. V 20, 13 'Ψαμμακόσια autem seorsum pro multis Varro saepe in Menippeis suis posuit.'

† VIII (7)

Nonius p. 206, 24 'Fulmentum neutro, ut est in prouerbio, quo Varro utitur saepius: Fulmenta lectum scandunt.'

† IX (6)

Seneca Ἀποκολοκυντ. c. 8 'Ἐπικούρειος θεὸς' (sc. Claudius) 'non potest esse: οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει οὔτε ἄλλοις παρέχει. Stoicus? quomodo potest rotundus esse, ut ait Varro, sine capite, sine praeputio?'

X (2)

Tertullianus apologetico c. 14 'Sed et Diogenes nescio quid in Herculem ludit et Romanus cynicus Varro trecentos Ioues — siue Iuppitros dicendos — sine capitibus introducit.' Idem ad nationes I 10 'Sed et Diogenes nescio quid in Herculem lusit et Romani stili Diogenes Varro trecentos Ioues — seu Iuppiteres dicendum est — sine capitibus inducit.'

† XI

Diomedes I p. 371, 23 'Haec de quattuor coniugationibus, quae pertinent ad uerba, quae analogiae parent, qua-

Varronem qui ait . . .' Quae cum metrum creticum Varronis Atacini non esse ostendat, ad Menippeas referenda puto. VI Sergius in Donatum p. 564, 17 K. 'Superuacua ponitur (sc. praepositio), ut apud Varronem . . . ex enim superuacua est.' X Cf. proll. p. 10. 31. De

1 aereae *addidi* || 2 tardos turbines *Cass.* || *Cretieos institui, uerba constitui* || 3 ex *add. Keilius* || expedit alamentatur *cod. Lauantinus* || 4 *ψαμμακοισια Paris. deest Cantabr. Salisb.* || 7 fulmentum lectum *L* || 9 *επικουρηος Sangall. corr. Rhenanus* || 10 ὅς *οὔτε Fromondus* || *εχιετ Sang. πλοεχει id. corr. Rhenanus* || 11 *Senarium in Varronis uerbis inesse Buechelerus putat* || 15 Iupitros *codd. plerique* Iupiteres siue Ioues *alii (in apol.)* || 21 pertenent *B*

rum exempla passim perscripta sunt et sunt nota. Quae siquis conceperit animo, non facile labetur. Sunt enim euidenter expòsita [et Lucilio] et Varroni Menippeo.'

XII (3)

Arnobius VI 23 'Vbi denique Apollo diuinus, cum a piratis maritimisque praedonibus et spoliatus ita est et incensus, ut ex tot auri ponderibus, quae infinita congesserant saecula, ne unum quidem habuerit scripulum, quod 'hirundinibus hospitis,' Varro ut dicit Menippeus, ostenderet'?

† XIII

Ver blándum uiget áruis [et] adést hospes hirúndo.

† XIV

Incertus de generibus nominum 263 'Pelleum generis neutri ut Varro: 'est ibi, inquit, si festinas, pelleum.''

† XV

Idem 269 'Porrum generis neutri; sed Varro: 'ponuntur tenues porri.''

† XVI

Idem 308 'Saccus generis masculini, ut Varro: 'uinum, cui nihil sacculus abstulit.''

Iouibus sine capitibus cf. fg. inc. IX et Krahnerus de Varr. phil. p. 9. Iuppiter Varroni est mundus (cf. e.c. Curio fg. I) ideoque rotundus; ceteros deos partes mundi esse uoluit, quos per irrisionem hic simul cum Ioue eorum quasi auctore omnes rotundos facit. XIII Augustinus de musica IV 15 'Notandum est, in principio posito minus pleno pedi aut ibidem reddi debitum per silentium — aut in fine — aut in aliquo de mediis loco, ueluti in hoc ...' Varronis est, cf. fg. XII. XIV—XVI si ad Varronem, ad saturas pertinere uidentur; sed ualde dubitanter huc rettuli, cum anonymus e quo petita sunt in scriptorum nominibus afferendis errori saepe sit obnoxius. Varroni falso adscripta. I Cf. proll. p. 43.

Keilii || 1 et sunt *om. M* || 3 exposita [et Lucilio] et *Hertzius cf. proll. p.* 32 || et Varroni Menippeo *om. edd. uett.* || narrom *A* || 8 dicit Menippeus *edd.* se thenippeus *cod. teste Hildebrandio* sethenipeus *teste Crusio* dicit scite Menippeus *Hildebrandius* dicit iste M. *Oehlerus* || 10 et *add. Roeperus phil.* XVIII *p.* 457, *qui uersum ionicum agnouit. Frg. inuenit Krahnerus Varr. Curio p.* 20 || 11 pilleum *Otto* Pteleum *Hauptius* ||

VARRONI FALSO ADSCRIPTA

I

Fulgentius de abstr. serm. p. 561 ed. Basil. p. XII ed. Lersch. 'Varro in Mystagogorum libro ait: Semoneque inferius derelicto deum depinnato orationis attollam eloquio.'

II

Vid. Andabatarum fg. IX.

2 mystagogarum *Gudian.* 335 *coll. Bongarsii* 1 mistagogorum *Berol.* mystagorum *Gudian.* 23 mistogagarum *Bruxell.* 10083 ysagogarum *Bruxell.* 9172 mysticorum *Mercerus* || 3 depennato *Brux.* 10083 *Gudian.* 23. *vulc. bas.* penato *Iunius* pinnato *Prellerus myth. Rom. p.* 79 || 4 alloquio *Brux.* 9172 *coll. Bongarsii* 2 *codd. Stauereni* ||

APPENDIX

MENIPPI CYNICI RELIQVIAE

I

Diog. Laert. VI 101 'Τὰ δ' οὖν τοῦ κυνικοῦ βιβλία ἐστὶ δεκατρία· Νέκυια, Διαθῆκαι, Ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου, Πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς (δόξας? cf. proll. p. 10) Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας, καὶ τἆλλα.'

II

Athenaeus XIV p. 664 e 'Ὁ δὲ κυνικὸς *Μένιππος* ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἀρκεσιλάῳ γράφει οὕτως· πότος τις ἦν ἐπικωμασάντων τινῶν καὶ ματτύην ἐκέλευσεν εἰσφέρειν Λάκαινά τις· καὶ εὐθέως περιεφέρετο περδίκεια ὀλίγα καὶ χήνεια ὀπτὰ καὶ τρύφη πλακούντων.'

† III

Diog. Laert. VI 29 'Φησὶ δὲ † *Μένιππος* ἐν τῇ Διογένους πράσει, ὡς ἁλοὺς καὶ πωλούμενος ἠρωτήθη, τί οἶδε ποιεῖν; ἀπεκρίνατο 'ἀνδρῶν ἄρχειν'. καὶ πρὸς τὸν κήρυκα 'κήρυσσε' ἔφη 'εἴ τις ἐθέλει δεσπότην αὑτῷ πρίασθαι.' κωλυθεὶς καθίζεσθαι 'οὐδὲν' ἔφη 'διαφέρει'· καὶ γὰρ τοὺς ἰχθῦς ὅπως ἂν κέοιντο πιπράσκεσθαι. θαυμάζειν τε ἔφη εἰ χύτραν μὲν καὶ λοπάδα ὠνούμενοι κομποῦμεν· ἄνθρωπον δὲ, μόνῃ τῇ ὄψει ἀρκούμεθα. ἔλεγε τῷ Ξενιάδῃ τῷ πριαμένῳ αὐτόν, δεῖν πείθεσθαι αὐτῷ, εἰ καὶ δοῦλος εἴη. καὶ γὰρ εἰ ἰατρὸς ἢ κυβερνήτης ἦν δοῦλος, πεισθῆναι ἂν αὐτῷ.'

In appendicis adnotatione grauiora tantummodo afferam.

MENIPPVS III *Μένιππος*] Ἑρμιππος codd. Ambrosii et Sambuci, Menagius.

IV

Athenaeus XIV p. 629 e *Καλεῖται δέ τις καὶ ἄλλη ὄρχησις κόσμου ἐκπύρωσις, ἧς μνημονεύει Μένιππος ὁ κυνικὸς ἐν τῷ Συμποσίῳ.*

V

Athenaeus I p. 32 e *Ὁ γοῦν κυνικὸς Μένιππος ἁλμοπότιν τὴν Μύνδον φησίν.*

VI

Diog. Laert. VI 100 *Ἔνιοι δὲ τὰ βιβλία [αὐτοῦ] οὐκ αὐτοῦ εἶναι, ἀλλὰ Διονυσίου καὶ Ζωπύρου τῶν Κολοφωνίων, οἳ τοῦ παίζειν ἕνεκα συγγράφοντες ἐδίδοσαν αὐτῷ ὡς εὖ δυναμένῳ διαθέσθαι.*

MELEAGRI CYNICI PRAETER EPIGRAMMATA RELIQVIAE

I

Athenaeus XI p. 502 c *Καὶ Μελέαγρος δ' ὁ κυνικὸς ἐν τῷ Συμποσίῳ οὑτωσὶ γράφει· κἂν τοσούτῳ πρόποσιν αὐτῷ βαρεῖαν διέδωκε, χυτρίδια βαθέα δώδεκα.*

II

Athenaeus IV p. 157 a *Καὶ ἡ Νίκιον ἔφη· οὐδεὶς ὑμῶν, ἄνδρες γενειοσυλλεκτάδαι, ἰχθὺν ἐσθίει; ἢ καθάπερ ὁ πρόγονος ὑμῶν Μελέαγρος ὁ Γαδαρεὺς ἐν ταῖς Χάρισιν ἐπιγραφομέναις ἔφη τὸν Ὅμηρον Σύρον ὄντα τὸ γένος κατὰ τὰ πάτρια ἰχθύων ἀπεχομένους ποιῆσαι τοὺς Ἀχαιούς, δαψιλείας πολλῆς οὔσης. κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον; ἢ μόνον ἀνέγνωτε συγγραμμάτων αὐτοῦ τὸ περιέχον λεκίθου καὶ φακῆς σύγκρισιν; ὁρῶ γὰρ πολλὴν παρ' ὑμῖν τῆς φακῆς τὴν σκευήν.*

MELEAGER Diog. L. VI 99 *Τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ* (Menippi) *πολλοῦ καταγέλωτος γέμει κατ' ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου.* Meleager epigr. 127:

Νᾶσος ἐμὰ θρέπτειρα Τύρος, πατρὰ δ' ἐμὲ τεκνοῖ
Ἀτθὶς ἐν Ασσυρίοις ναιομένα Γαδάροις·
Εὐκράτεω δ' ἔβλαστον ὁ σὺν Μούσαις Μελέαγρος,
Πρῶτα Μενιππείαις συντροχάσας χάρισιν.

cf. Anthol. gr. epigr. ἄδεσπ. 572. — II Eustathius in Il. XI p. 868, 15 ed. Rom. *. . . ὁ Γαδαρεὺς Μελέαγρος τὸν Ὅμηρον εἰπὼν Σύρον ὄντα κατὰ τὰ ἐκείνῳ πάτρια ἰχθύων ἀπεχομένους ποιῆσαι τοὺς Ἀχαιούς, ἥρωας δηλαδή.*

† III

Diog. Laert. II 92 'Μελέαγρος δὲ ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ δοξῶν καὶ Κλειτόμαχος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τῶν αἱρέσεων φασὶν αὐτοὺς (i. e. Cyrenaicos) ἄχρηστα ἡγεῖσθαι τό τε φυσικὸν μέρος καὶ τὸ διαλεκτικόν. Δύνασθαι γὰρ εὖ λέγειν καὶ δεισιδαιμονίας ἐκτὸς εἶναι καὶ τὸν περὶ θανάτου φόβον ἐκφεύγειν τὸν [τὸν] περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον ἐκμεμαθηκότα.'

M. TERENTI VARRONIS LOGISTORICI

ATTICVS

De numeris

Censorinus 2, 2 sq. 'Scilicet ut Varro testatur in eo libro cui titulus est Atticus et est de numeris, id moris institutique maiores nostri tenuerunt, ut cum die natali munus annale genio soluerent, manum a caede et sanguine abstinerent, ne die qua ipsi lucem accepissent aliis demerent. Denique Deli ad Apollinis genitoris aram, ut Timaeus auctor est, nemo hostiam caedit. Illud etiam in hoc die obseruandum, quod genio factum neminem oportet ante gustare quam eum qui fecerit.'

CALENVS

Duces cum primum hostilem agrum introitum ierant, ominis causa prius hastam in eum agrum mittebant, ut castris locum caperent.

ATTICVS Cf. Sidonius Apollinaris epp. VIII 6 'Varronem logistoricum sicut poposceras et Eusebium chronographum misi.' Si etiam Varronis liber ad chronographiam pertinebat, Atticus uidetur mihi fuisse, cf. proll. p. 37 not. 6. 'De muneribus' Manutius, Ritschelius. — Cf. Seruius ad Aen. III 85.—

CALENVS Seruius ad Aen. IX 53 'Varro in Caleno ita ait...' —

CATVS

De liberis educandis.

I

Quod petisti, ut eius educationis fierem tibi socius, quoad potui, adminiculaui tuam uoluntatem scribendo.

II

Ex quo perspicuum est, maiorem curam habere nos marsuppii quam uitae nostrae.

III

Mala enim consuetudo diu inroborata est inextinguibilis.

IV

Velim mehercules, inquit, ipse usu magno puerilitatis formulam audire.

V

Educit enim obstetrix, educat nutrix, instituit paedagogus, docet magister.

VI

Vt qui contra celeriter erant nati, fere Numerios praenominabant, quod qui cito facturum quid se ostendere uolebat, dicebat, numero id fore; quod etiam in partu precabantur Numeriam, quam deam solent indigetare etiam pontifices.

VII

Hisce manibus lacte fit, non uino: Cuninae propter cunas, Ruminae propter rumam, id est prisco uocabulo mammam, a quo subrumi etiam nunc dicuntur agni.

VIII

Eam nutricem oportet esse adulescentem: anuis enim ut sanguis deterior, sic lac. Lac enim, ut quidam dicunt physici, sanguinis spuma.

IX

Magnum est enim, ut Ariston scribit, in primordio pueruli, quemadmodum incipiat fingi; ad id quasi cuadet.

CATVS I Nonius 77 s. u. Adminiculaui. Varro Cato uel de liberis educandis (sic ap. Non. ubique)...' II Nonius 141 s.u. Marsuppium. et quo N(onius). III Nonius 131 s.u. Inextinguibilis. male N inproborata Bamb. inprorata LW IV Nonius 494 s.u. Puerilitas. mehercuIis N V Nonius 447 s. u. Educere et educare. hocet N VI Nonius 352 s. u. Numero. praemuniebant N quid se] quis sine N Numeriet N VII Nonius 167 s. u. Rumam. Hisce numinibus Prellerus. Cunina N VIII Nonius 494 s. u. Anuis. IX Nonius 308 s. u.

X

Cum primo cibo et potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus Edusae, a potione Potinae nutricis.

XI

Nutrix haec omnia faciebat in uerbenis ac tubis sine hostia, ut Deli ad Apollinis Genetiui aram.

XII

Alii adferunt libum ac turundam.

XIII

Nonius 532 'Statilinum et Statanum et Fabulinum praesidis Deos Varro Cato uel de liberis educandis puerilitatis affirmat: Vti Statano et Statilino, quorum nomina habent scripta pontifices, sic cum primo fari incipiebant, sacrificabant diuo Fabulino.'

XIV

Cum cibum ac potionem buas ac pappas uocent et matrem mammam, patrem tatam.

XV

Vt faciunt pleraeque, ut adhibeant praecantrices nec medico ostendant.

XVI

Vt cibo utatur modico et idoneo, ut uitet acria, ut est sinapi, cepa, alium.

XVII

Gellius IV 19 'Pueros inpubes compertum est, si plurimo cibo nimioque somno uterentur, hebetiores fieri ad ucterni usque aut eluci tarditatem, corporaque eorum inprocera fieri minusque adolescere. Idem plerique alii medicorum philosophorumque et M. Varro in logistorico scripsit, qui inscriptus est Catus aut de liberis educandis.'

Fingere. at L m. s. W euadat N. X Nonius 108 s. u. Edusam et Potinam. Cum ... nutrici. primo] pro N Aedusae N a potina N Pontinae nutrici N. — Nonius 480 s. u. Sacrificari. Cum ... nutrici. cibo] ribus N Aedusae N Potinae om. N nutrici N. Educae Prellerus XI Macrobius Satt. III 6, 5. [Varro add. Meursius] Cato de liberis educandis. XII Nonius 552 s. u. Turunda. XIII uti scripsi ali N alii Prellerus XIV Nonius 81 s. u. Buas. docent N. XV Nonius 494 s. u. Praecantrices. ostendunt N. XVI Nonius 201 s. u. Cepa feminini. sinape N.

XVIII

† Fortuna se illos non natura praestare, si quid his datum sit esculentum.

XIX

Mihi puero modica una fuit tunica et toga, sine fasceis calceamenta, ecus sine ephippio, balneum non cottidianum, alueus rarus.

XX

Alii ita sunt circumtonsi et terti atque unctuli, ut mangonis esse uideantur serui.

XXI

Itaque Ambraciae primum capillum puerilem demptum, item cirros ad Apollinem ponere solent.

XXII

Remotissimum ad discendum formido ac nimius timor et omnis perturbatio animi; contra delectatio protelat ad discendum.

XXIII

Non solum qui primus in alterutra re praestet alios, sed etiam qui sit secundus et tertius.

XXIV

Omnia, inquam, in docendis pueris, quae dempta non prohibent uerum bonum fieri, mediocria sunt.

XXV

Omnes enim qui locuntur habere debent quosdam melos.

XXVI

Melos alterum in cantibus est bipertitum; unum quod est in assa uoce, alterum quod uocant organicon.

XXVII

Persae propter exercitationes puerilis modicas eo sunt

XVIII Nonius 108 s. u. Esculentum. fortunas se Leid. XIX Nonius 108 s. u. Ephippium. calciamenti N. XX Nonius 179 s. u. Terta. ita] ta N magonis N XXI Nonius 94 s. u. Cirros. XXII Nonius 363 s. u. Protelare. nimis N protelo N disce(n)dunt N XXIII Nonius 502 datiuus pro ablatiuo (?) XXIV Nonius 520 s. u. Modestia. quaedam ta Guelf. mediocria modica sunt N. XXV Nonius 213 s. u. Melos. loquuntur W debeant N. XXVI Nonius 77 s. u.

consecuti corporis siccitatem, ut neque spuerent neque emungerentur sufflatoue corpore essent.

XXVIII

Vel maxime illic didici, et sitienti uideri aquam mulsum [et] esurienti panem cibarium siligineum et exercitato somnum suauem.

XXIX

Et ut in grege opilio oues minus idoneas remouere solet, quas reiculas appellant: saepe enim unus puer petulans atque impurus inquinat gregem puerorum —.

XXX

Ab huiuscemodi lusionibus radices crudelitas agere solet.

XXXI

Quare meliusculae consuetudinis puerilis illorum, qui suis catellis ministrant quod edant.

XXXII

Vt puellae habeant potius in uestitu chlamydas, encombomata ac parnacidas quam togas.

XXXIII

Etenim nulla quae non didicit pingere potest bene iudicare, quid sit bene pictum a plumario aut textore in puluinaribus plagis.

XXXIV

Non inserunt manus opificio, qui bysso uel lino quid faciunt aut palma; nam liberi quaestuis causa diribunt suas res pueris.

XXXV

Itaque domi rituis nostri qui per deum Fidium iurare uult, prodire solet in compluuium.

Assa uoce. XXVII Nonius 395 s. u. Siccum. Persae . . . essent. eo se consuiti N spuerentur N. — Nonius 481 s. u. Emungerentur. Eo . . emungerentur. sunt om. N. ut om. N. XXVIII Nonius 88 s. u. Cibarius. uideri aquam Iunius teriacam N et addo silicineum L. XXIX Nonius 168 s. u. Reiculas oues. inquinat Ald. inquit N. XXX Nonius 133 s. u. Lusus uel lusio. XXXI Nonius 94 s. u. Catellos. edent N. XXXII Nonius 542 s. u. Encombomata. pernacidas Guelf. XXXIII Nonius 162 s. u. Plumarium. a om. N. plagiis N. XXXIV Nonius 483 s. u. Quaesti uel quaestuis. inserunt scripsi insuarum Bamb. Leid. insinuarum Guelf. manu N. quibus almelino N. correxi. lib II N deribant N XXXV Nonius 494 s. u. Rituis. dium Scaliger.

XXXVI

Id quod postea uirum esse . . .

XXXVII

Gellius XX 11, 4 'Sculnam scriptum esse in logistorico M. Varronis, qui inscribitur Catus . . . Lauinius . . admonet.'

CVRIO

De deorum cultu

I

Augustinus de ciu. dei VII 9 'Iouem . . non alium possunt existimare quam mundum . . . In hanc sententiam etiam quosdam uersus Valerii Sorani exponit idem Varro in eo libro, quem seorsum ab istis de cultu deorum scripsit, qui uersus hi sunt:

Iuppiter omnipotens regum rerumque deumque
Progenitor genetrixque, deum deus, unus et omnes.

Exponuntur autem in eodem libro ita, ut eum marem existimarent qui semen emitteret, feminam, quae acciperet; Iouemque esse mundum et eum omnia semina ex se emittere et in se recipere; qua causa, inquit, scripsit Soranus 'Iuppiter progenitor genetrixque' nec minus cum causa unum et omnia idem esse. Mundus enim unus et in eo uno omnia sunt.'

II

Tres arae sunt in circo medio ad columnas, in quibus stant signa: in una inscriptum 'dis magnis', in altera 'dis potentibus', in tertia 'dis Terrae et Caelo.' In haec duo diuisus mundus.

III

Terentius quidam cum haberet ad Ianiculum fundum et bubulcus eius iuxta sepulcrum Numae Pompilii traiciens aratrum eruisset ex terra libros eius, ubi sacrorum insti-

XXXVI Nonius 367 s. u. Propter. an uerum?

CVRIO Cf. prolegg. p. 37 not. 4 II Probus in Verg. ecl. 6, 31 p. 21, 8 K. 'Varro in logistorico, qui inscribitur Curio de deorum cultu, cognomenta magnorum deorum . . .' III Augustinus de ciu. dei VII 34 'Apud eundem Varronem legitur in libro de cultu deorum: . . .' Cf. Manius satura.

tutorum scriptae erant causae, in urbem pertulit ad praetorem. At ille cum inspexisset principia, rem tantam detulit ad senatum. Vbi cum primores quasdam causas legissent, cur quidque in sacris fuerit institutum, Numae mortuo senatus adsensus est eosque libros tamquam religiosi patres conscripti praetor ut combureret censuerunt.

IV

Augustinus ib. VII 35 'Nam et ipse Numa . . hydromantian facere compulsus est, ut in aqua uideret imagines deorum . . a quibus audiret, quid in sacris constituere atque obseruare deberet. Quod genus diuinationis idem Varro a Persis dicit allatum, quo et ipsum Numam et postea Pythagoram philosophum usum fuisse commemorat, ubi adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari et *νεκρομαντείαν* graece dicit uocari. . . . Varro illorum sacrorum alias nescio quas causas uelut physicas interpretatur . . . Quod ergo aquam egesserit id est exportauerit Numa Pompilius, unde hydromantian faceret, ideo nympham Egeriam coniugem dicitur habuisse, quemadmodum in supradicto libro Varronis exponitur.'

† V

Seruius in Aen. III 359 'Varro autem quattuor genera diuinationum dicit: terram aërem aquam ignem, geomantis aeromantis pyromantis hydromantis.' Idem dicit Isidorus origg. VIII 9, 13. Ioannes Sarisb. Policr. I 11.

GALLVS FVNDANIVS

De admirandis

I

Seruius in Georg. III 113 'De hoc Varro in libro qui Mirabilium inscribitur: Erichthonium primum quattuor iunxisse equos ludis qui Panathenaica appellentur.' Philargyrus ibid. 'Varro in libro qui Admirabilium inscribitur Erichthonium ait primum equos quattuor iunxisse ludis qui Panathenaea appellantur.'

II

Arnobius VI 3 'Templorum si quaeris audire quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Aegyptius aut Me-

rops tibi fuisse monstrabitur aut, ut tradit in Admirandis Varro, Iouis progenies Aeacus.'

III

Secundo de statiuis aquis, ut sunt lacus et stagna et putea et maria.

IV

In mare aquam frigidam oriri.

V

Inter Italiam et Siciliam qui est fretus inter Rhegium et Messanam.

VI

In Sicilia quoque manu capi murenas flutas, quod eae in summa aqua prae pinguedine flutentur.

VII

Vinum quod ibi natum sit in quodam loco si praegnans biberit, fieri ut aboriatur.

VIII

In silua mea est glis nullus.

IX

Magnum mendum.

X

Infriasse papauerem.

XI

Perdicas Boeotios.

LATERENSIS

Parsurus pecuniis bene partis.

GALLVS FVNDANIVS III Nonius 217 s. u. Putei neutro. 'Varro Gallo uel Fundanio (uel om. Leid.) de miris . , .' putei N. IV Charisius p. 61. 137. Priscianus p. 331. 'Varro in Fundanio.' V Nonius 205 s. u. Fretum masculini. 'Varro Gallo aut Fundania.' Regium N. VI Macrobius Sat. III 15, 8 'M. Varro in libro qui inscribitur Gallus de admirandis.' VII Nonius 71 s. u. Aboriatur. 'Varro pro Callio uel Fundanio de admirandis rebus.' VIII Charisius p. 90. 131. 'Varro in Admirandis.' IX Charisius p. 72. Incertus p. 2791 Putsch. 'Varro in Admirandis.' X Nonius 220 s. u. Papauer. 'Varro Adnoprandis.' infriassene N. Charisius p. 83 'Varro in Admirandis.' Incertus de gen. nom. 258 'Varro'. XI Nonius 218 s. u. Perdicas. 'Varro in Admirandis.' ueotios N.

LATERENSIS Diomedes p. 368. Priscianus X p. 511.

MARIVS

De fortuna

I

Schol. Veron. in Aen. VII 681 'Hic (Caeculus) collecticiis pastoribus Praeneste fundauit. Hunc Varro a Depidiis pastoribus educatum ipsique Depidio nomen fuisse et cognomentum Caeculo tradit libro qui inscribitur Marius aut de fortuna.'

II

Macrobius Sat. III 18, 6 'Est autem natio hominum iuxta agrum Praenestinum, qui Carsitani uocantur *ἀπὸ τῶν καρύων*, cuius rei meminit Varro in logistorico qui inscribitur Marius de fortuna.'

MESSALA

De ualetudine

Probus in Verg. ecl. 6, 31 p. 20 K. 'Varro etiam in logistorico quem inscripsit Messala de ualetudine, ait, antiquos agrestes uenandi peritos, cum plurimum in siluis agerent, quod ueluti Diana duce ad inuestigandas feras solas et deuias siluas peterent, Deuianam appellasse Deam, mox Dianam quod intellegerent, eandem esse quae diem nascentibus daret.'

NEPOS

Charisius p. 59 'Varro in Nepote haec praesepes dixit.'

ORESTES

De insania

Gellius XIII 4 'In libro M. Varronis, qui inscriptus est Orestes uel de insania, Olympiadem Philippi uxorem festiuissime rescripsisse legimus Alexandro filio. Nam cum is ad matrem ita scripsisset: 'Rex Alexander, Iouis Hammonis filius, Olympiadi matri salutem dicit', Olympias ei rescripsit ad hanc sententiam: 'Amabo' inquit 'mi fili, quiescas neque deferas me neque criminere aduersum Iunonem; malum mihi prorsus illa magnum dabit, cum tu me litteris tuis pelicem esse illi confiteris.'

PIVS

De pace

Gellius XVII 18 'M. Varro . . . in libro quem scripsit Pius aut de pace C. Sallustium scriptorem seriae illius et seuerae orationis . . . in adulterio deprehensum ab Annio Milone loris bene caesum dicit et, cum dedisset pecuniam, dimissum.'

SCAEVOLA

Et ut matrem audiui dicere.

SCAVRVS

I

Seruius in Georg. I 19 postquam Triptolemi historiam fere ad hymni Homerici exemplar fuse narrauit, pergit: 'Cererique sacra primus instituit, quae θεσμοφόρια graece dicunt, ut [ait] Varro de scenicis originibus II et in Scauro.'

II

Charisius p. 77 'Varro in Scauro baltea dixit et Tuscum uocabulum ait esse.'

III

Glutinum ferunt Daedalum inuenisse.

IV

Charisius p. 106 et Incertus p. 2796 P. 'Varro in Scauro palumbi dicit.'

SISENNA

De historia

Quodsi non horum omnium similia essent principia ac postprincipia, susque deque esset.

SCAEVOLA Macrobius de diff. et soc. graec. lat. uerb. 19, 32. 'Varro in Scaeuola.'

SCAVRVS Cf. prolegg. p. 37 not. 7. I dicunt ut scripsi dicuntur libri ait addidi 'II et' scripsi uel libri III Charisius p. 88. 131. 'Varro in Scauro.'

SISENNA Gellius XVI 9, 5 'M. Varro in Sisenna uel de historia . . .'

TVBERO

De origine humana.

I

Caelum ut testa, item ut uitellum terra; inter illa duo quasi *ἰκμὰς* inclusus aër, in quo calor.

II

Probus in Verg. ecl. 6, 31 p. 19 K. 'In eodem etiam libro Varro interpretatur uitellum appellatum, quia generet uitalia.

III

Censorinus c. 9 'Hac Chaldaeorum sententia explicata transeo ad opinionem Pythagoricam Varroni tractatam in libro, qui uocatur Tubero et intus subscribitur de origine humana ... Alii enim plerique, cum omnes partus non uno tempore fiant maturi, una tamen eademque tempora omnibus conformandis dederunt, ut Diogenes Apolloniates, qui masculis corpus ait quattuor mensibus formari et feminis quinque, uel Hippon, qui diebus LX infantem scribit formari et quarto mense carnem fieri concretam, quinto ungues capillumque nasci, septimo iam hominem esse perfectum: Pythagoras autem quod erat credibilius dixit, partus esse genera duo, alterum septem mensum, alterum decem, sed priorem aliis dierum numeris conformari, aliis posteriorem. Eos uero numeros, qui in unoquoque partu aliquid adferunt mutationis, dum aut semen in sanguinem aut sanguis in carnem aut caro in hominis figuram conuertitur, inter se conlatos rationem habere eam quam uoces habent quae in musice *σύμφωνοι* uocantur.'

— — —

De moribus

Macrobius Satt. III 8, 9 'Varro de moribus morem dicit esse in iudicio animi, quem sequi debeat consuetudo.'

TVBERO Cf. Aborigines satura [*περὶ ἀνθρώπων φύσεως*]. Wilmanns de Varr. libr. gramm. p. 36 etymologias Varronis ap. Lactant. de opificio dei ad corporis partes pertinentes huc refert. I Probus in Verg. ecl. 6, 31 p. 19 K. 'Varro mundo ouum comparauit in logistorico qui inscribitur Tubero de origine humana, sic dicens . . .' uitellum ut codd. humor quasi codd., humor est glossema.

Cf. Seruius in Aen. VII 601 'Varro uult morem communem consensum omnium simul habitantium, qui inueteratus consuetudinem facit.'

— — —

De philosophia

Cf. Augustinus de ciu. dei XIX 1—3 qui locus, praesertim cum non sit certissimum, librum esse logistoricum, longior est quam qui hic exscribatur. Continet disputationem de summo bono, quod uariis modis ita peti possit, ut CCLXXXVIII inde sectae oriantur. Quas deinde ad XII reducit principales. Virtutem autem coniunctam cum primigeniis naturae summum esse bonum, hanc suam esse profitetur sectam; quod bonum qui habeat, eum esse beatum eumque homines deosque diligere. — Locus legitur in ed. Varron. Bipont. p. 328—336. Cf. prolegg. p. 38 not. 3.

[TANAQVIL]

De pudicitia

I

Non modo absens quicquam de te sequius cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem.

II

Seruius in Verg. Aen. IV 45 'Varro de pudicitia ait, auspices in nuptiis appellatos ab auspiciis, quae ab marito et noua nupta per hos auspices captabantur in nuptiis.'

— — —

De saeculis

Seruius in Verg. Aen. VIII 526 'Varro de saeculis auditum sonum tubae de caelo dicit.' Cf. Plutarchus Sulla 7. Suidas s. u. *Σύλλας*. Censorinus 17.

Ex incerto logistorico

Seruius in Verg. Aen. V 80 'Salue et uale secundum Varronem in logistoricis synonyma sunt.' Idem XI 97 'Varro in libris logistoricis dicit, ideo mortuis salue et

[TANAQVIL] Cf. prolegg. p. 38 not. 2. I Nonius 166 s. u. Ruminari. cogitauit N, corr. Turnebus ruminabit tuam Klussmannus ann. philol. XIV 1848 p. 479. Iamb. septt. Vahlenus p. 73 instituit; Kochius cxx. critt. p. 31 troch. sept. inceperat. — Saturam Ochlerus et Ritschelius de logistt. p. XIV dixerunt. —

uale dici, non quod aut ualere aut salui esse possint, sed quod ab his recedimus, eos nunquam uisuri.'

VARRONIS EPISTVLAE

Ad Caesarem

I

Conuocat Ptolemaeum cinaedologon, Nicona petauristen, Diona *αὐλοποιόν*.

II

'Interea prope ad occidentem solem horrescit mare.'

III

Quem simulac Romam uenisse mihi 'attigit auris nuntius, Extemplo mĕos in curriculum contuli propere pedes.'

Ad Fabium

Quod facie Satyrorum similes sunt, quod naso simi sunt eidemque inberbi.

Ad Fufium

Si hodie noenum uenis, cras quidem si ueneris meridie die natali Fortis Fortunae, Quintiporis Clodi Antipho fies ac poemata eius gargaridians dices:

'O fortuna, o fórs fortuna, quántis commoditátibus
Húnc diem —.'

EPISTVLAE. Hoc loco et 'epistulas Latinas' praetermitto, quarum fgg. adscripsi p. 43, nec mihi negotium est cum 'epistulicis quaestionibus', docto opere, quibus etiam epistulam ad Ser. Sulpicium adtribuo. I Nonius 56 s. u. Petauristae. 'Varro Epistula ad Caesarem . . .' II Nonius 423 s. u. Horrendum. 'Varro Epistula ad Caesarem . . .' Est uersus Pacuui 411 Rb. e memoria adlatus 'Interea prope iam óccidente sóle inhorrescít mare.' III Nonius 263 s. u. Curriculus. 'Varro in Epistula Iuli Caesaris . . .' Hunc locum duobus septenariis constare uidit Buecheler us p. 449, quos etiam usque ad Extemplo Cicero ad Att. XIII 47, 1, ex Ennii fortasse Iphigenia, adferat; sed utrumque scriptorem uerba libere mutasse.

Ad Fabium Nonius 493 s. u. Inberbi. Satyrorum Mercerus Saturnorum N naso simi scripsi maximi N (maxima Bamb.)

Ad Fufium Nonius 144 s. u. Noenum: Si . . . Fortunae. Nonius 117 s. u. Gargaridiare: Quintiporis . . . fors fortuna. Nonius 425 s. u. Fors et fortuna: Dices . . . diem. Antipho fies scripsi antforiae N [eum] Q. Cl. Antiphone Buechelerus anaphoras Mommsenus. Versus suos Clodius ex Terenti Phormione V 6, 1. 2 furatus est (cf. adn. ad Bimarci fg. I), sed a Geta ad Antiphonem transtulit.

Ad Marullum

Vtrum meridie an uesperi libentius ad obbam accedas, locus actus aduentus declarauit.

Ad Neronem

I

A lare familiare.

II

Incertus de gen. nom. 318 'Simpulum gen. neut. ut Varro in Neronem.'

Ad Varronem

Nam si tuam heri redam non habuissem, uarices haberem.

VERSVS VARRONIANI

quotquot praeter saturarum fragmenta extant

I

Capélla Homeri cándida haec tumulum índicat,
Quod hác Ietae mórtuo faciúnt sacra.

II

Híc Demétrius aéreás tot áptust,
Quót lucís habet ánnus ábsolútus.

III

'Et tamen non demólio rostra.

IV

Paréctatoe adsunt; múlierem Venús capit.

Ad Marullum Nonius 545 s. u. Obba.

Ad Neronem I Charisius p. 130 'Varro ad Neronem.'

Ad Varronem (propinquum aliquem suum?) Nonius 27 s. u. Varices: Nam si ... haberem uarices. Nonius 167 s. u. Reda: Quod si ... uarices haberem.

VERSVS VARRONIANI, I Gellius III 11, 6 'M. Varro in libro de imaginibus primo Homeri imagini epigramma hoc apposuit ...' tumultum libri aciete Vat. Reg. ḥacietē Rott. II Nonius 528 s. u. lucis 'Varro Ebdomadum sub imagine Demetri ...' Dem. est catus quod N; corr. Scaliger et Schraderus. III Diomedes p. 400 'Varro in poetico libro' cf. prolegg. p. 16 not. 1. IV Nonius 67 s. u. parectatoe 'Varro de compositione saturarum ...' Cf. proll. p. 46. 56. 'Adsúnt mulierque múlierum V. caput' Roeperus.

P. TERENTI VARRONIS ATACINI
RELIQVIAE

ARGONAVTAE
Liber I
I

Ecce uenit Danai multis [post gentibus ortus].
Namque satus Clytio, Lerni quem Naubolus † ex se,
Lernum Naupliades Proetus, sed Nauplion edit
Fil[ia Amymone] Danai, [Neptunia coniunx.].

† II

Tuque Lycaoniae mutatae e semine nymphae,
Quam gelido raptam de uertice Nonacrinae
Oceano prohibet semper se tingere Tethys,
Ausa suae quia sit quondam succumbere alumnae.

† III

Tiphyn [at] aurigam celeris fecere carinae.

IV

Quos magno Anchiale partus adducta dolore
Et geminis capiens tellurem Oeaxida palmis
Edidit in Dicta.

P. VARRO ATACINVS Vide quae dixi in praefatione. — ARGONAVTAE Vulgo Argonautica; ego scriptorum testimonia sequor. De hoc carmine cf. Ouidius amorum I 15, 21 'Varronem primamque ratem quae nesciat aetas?' Idem art. am. III 335 'Nota sit et Sappho — — Dictaque Varroni fuluis insignia uillis Vellera germanae, Phryxe, querenda tuae.' Idem Tristium II 439 sq. et epp. ex Ponto IV 16, 21 'Veliuolique maris uates, cui credere possis Carmina caeruleos composuisse deos.' Propertius II 34, 85. Statius silu. II 7, 77. — Liber I I Scholia Veronensia in Verg. Aen. II 82. Supplementa partim Keilii partim Vngeri partim mea sunt. 'Varro Argonautarum primo.' Cf. Apollonius Rhodius, quem hoc opere Varro interpretatur, I 133 sqq. II Hyginus fab. 177 'in creticis (Aratcis Barthius) uersibus.' Corruptelam non possum sanare, sed Vngero (progr. gratul. Friedland. 1861) assentior uersus huc transferenti, non propter eius coniecturam 'in Argonauticis Varronis' sed propter Apoll. Rhod. I 154 sqq., cf. Vngerus p. 6. Eidem p. 7 sq. uersum ap. Lactant. Narr. Fab. II 6 huc ferenti non assentior. III Charisius p. 272, Diomēdes p. 457, Donatus, Pompeius, Beda. Versus anonymus. Vngerus Keiliusque huc recte retulere cl. Apoll. Rhod. I 395 sq. IV Seruius in Verg. ecl. 1, 66. 'Varro.' Cf. Apoll. Rhod. I 1129 sqq.

Liber II

I

Probus in Vergil. Georg. I 14 'Insula est Cea . . . Ibi existimatur pestilentia fuisse pecorum et armentorum grauis propter interitum Actaeonis. Aristaeus monstrante Apolline patre profectus est in insulam Ceam et ibi sacrificio facto aram Ioui Icmaeo constituit, qui placatis flatibus et aestu, qui necabant pecora et armenta, liberauit ea. Ipse autem post excessum uitae imperante oraculo Apollinis ab immorantibus in ea insula relatus in numerum deorum appellatus est Nomius et Aegoros, quod et agresti studio et cura pecorum armentorumque non mediocriter profuerat hominibus. Traditur haec historia de Aristaeo in corpore Argonautarum a Varrone Atacino.'

II

Te nunc Coryciae tendentem spicula nymphae
Hortantes 'o Phoebe' et 'Ieïe' conclamarunt.

III

Frigidus et siluis aquilo decussit honorem.

Liber III

I

Desierant latrare canes urbesque silebant;
Omnia noctis erant placida composta quiete.

II

Cuius ut aspexit torta caput angue reuinctum.

Liber IV

I

Cum te flagranti deiectum fulmine, Phaethon.

II

Semianimesque micant oculi lucemque requirunt.

Liber II I Cf. Ap. Rhod. II 500 sqq. II Audacis de Scauri et Palladii libris excerpta in cod. Bern. 336 saec. IX (cf. Wuellnerus de Varr. Atac. p. 20) 'Varro in Argonautis.' Cf. Ap. Rhod. II 711 sq. III Seruius in Georg. II 404 'Varronis uersus.' Cf. Ap. Rhod. II 1102. Liber III I Seneca contr. III 16. 'Optimi uersus Varronis.' Cf. Ap. Rhod. III 749 sq. II Charisius p. 90, Nonius p. 191, Incertus p. 2777 Putsch. 'Varro Atacinus.' Cf. Ap. Rhod. III 1214 sq. Liber IV I Quintilianus I 5, 18 'P. Varro.' Cf. Ap. Rhod. IV 597 sq. II Seruius in Aen. X 396 'Varro Atacinus' uersum Ennii in suum

III

Feta feris Libye.

Ex libro incerto

Probus in Verg. Georg. II 126 'Pars Parthorum Media est appellata a Medo, filio Medeae et Aegei, ut existimat Varro, qui quattuor libros de Argonautis edidit.'

CHOROGRAPHIA

Prooemium

I

Vidit et aetherio mundum torquerier axe
Et septem aeternis sonitum dare uocibus orbes,
Nitentes aliis alios, quae maxima diuis
Laetitia est. At tunc longe gratissima Phoebi
Dextera consimiles meditatur reddere uoces.

II

Ergo inter solis stationem et sidera septem
Exporrecta iacet tellus; huic extima fluctu
Oceani, interior Neptuno cingitur ora.

III

At quinque aetheriis zonis accingitur orbis
Ac uastant imas hiemes mediamque calores:
Sed terrae extremas inter mediamque coluntur,
Quas solis ualido nunquam uis atterat igne.

Europa

I

Tutum sub sede fuissent.

carmen transtulit. Cf. Ap. Rhod. IV 1525 sq. III Philargyrus in Verg. Georg. III 176 'Varro Atacinus.' Cf. Ap. Rhod. IV 1562. Incertum. Fortasse e Chorographia.

CHOROGRAPHIA ortographia Prisciani codd. optimi Chorographia Bern. in mg. cosmographia Zwicc. 2 Heidelb. Hoc opus est interpretatio Alexandri Ephesii *τοῦ Λύχνου*, cf. Roeperus philol. XVIII p. 433. Strabo XIV p. 642. Fragmenta ordine composui; ad ea cf. Theon Smyrnaeus astron. p. 182 sqq. Martin. I Marius Victorinus p. 2503 P. 'Varro.' II Priscianus p. 100 'Varro in ortographia (u. s.).' III Isidorus de nat. rer. c. 10 'Varro.' u. 4 quam ... ut auferat libri. uis scripsi, atterat Wuellnerus. Cf. Reifferscheidius Sueton. p. 197 sq. — Europa I Glossae Festo Muelleri adiectae p. 381 'Varro in Europa.'

†II

Munitus uicus Caralis.

Asia

Indica non magna nimis arbore crescit arundo;
Illius e lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant succo concedere mella.

Africa

Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.

EPHEMERIS

I

Nubes [ut] uellera lanae
Stabunt.

II

Tum liceat pelagi uolucres tardaeque paludis
Cernere inexpleto studio certare lauandi
Et uelut insolitum pennis infundere rorem.
Aut arguta lacus circumuolitauit hirundo.

III

Et bos suspiciens caelum (mirabile uisu)
Naribus aërium patulis decerpsit odorem
Nec tenuis formica cauis non euehit oua.

BELLVM SEQVANICVM

Liber II

Deinde ubi pellicuit dulcis leuis unda saporis.

II Consentius p. 2031 P. 'Vt ecce ait cinus (ut dicit Atacinus conieci) . . .' — Asia Isidorus origg. XVII 7, 58 'Varro.' nimis Vossius magnum in ebore codd. — Africa Charisius p. 61. 137. Priscianus VII p. 331. 'Varro Atacinus.'

EPHEMERIS Cf. Bergkius mus. phil. I 372 sqq. Hoc opere Varro Aratum interpretatus est. I Seruius in Verg. Georg. I 397 'Varro in Epimenide' corr. Bergkius. Cf. Aratus u. 206 sq. ut addidi Nec nubes Bergkius. II. III Seruius ib. I 375: '[Varro et Vergilius Aratum secuti sunt.' Huius cf. u. 210 sqq. 222 sqq.

BELLVM SEQVANICVM Priscianus X p. 497 'P. Varro belli Sequanici libro II.' Glossarium Isidori s. u. prolicere. 'Varro: Demum ubi prolicuit dulcis unda.' Glossarium ap. Mai. class. auctt. VIII 470 s. u. prolicere. 'Varro: Deinde ubi prolicuit dulcis unda.'

[EPIGRAMMA
Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato paruo,
Pompeius nullo: credimus esse deos?]

Elegiarum et saturarum reliquiae extant nullae.

SENTENTIAE VARRONIS
ad Papirianum Athenis audientem

1 (ed. Chappuis). Di essemus, ni moreremur.
2. Expedit uulgo timor mortis.
3. Non est peius nasci quam mori, sed demus uerba nostro saeculo.
4. Cum natura litigat, qui mori graue fert.
5. Duplex est malum, quum quod necesse est, moleste ferimus.
6. Mors nullius noua, sed reddita: uitam utrinque complectitur.
7. Mors si prima, non peior est ultima.
8. Loquaris ut omnes; sentias ut pauci.
9. Ratio est uitae in multam concedere turbam.
10. In multis contra omnes sapere desipere est.
11. Sic flet heres, ut puella uiro nupta: utriusque fletus non apparens est risus.
12. Ficte referas gratiam inuite danti.
13. Vix datum ne putes beneficium, sed praedam.
14. Semel dedit qui rogatus, bis qui non.
15. Extorquere est plus quam semel rogare.

Epigramma neutrius Varronis esse Madvigius opusc. acad. alt. p. 203 sq. monstrauit: Licinus ille, si Iuuenalis scholiastae I 109 fides, sub Tiberio obiit. Saltem 15 a. Chr. procurator Galliae erat (Dio 54, 21). Scholia Persii II 36 'Varronis epigramma.' Cf. comm. Cruquii ad Art. poet. 301.

Elegiae. Ouidius Trist. II 439 'Is quoque, Phasiacas Argo qui duxit in undas, Non potuit Veneris furta tacere suae.' Propertius II 34, 85 'Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro, Varro Leucadiae maxima flamma suae.'

Saturae. Horatius satt. I 10, 46 'Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem.'

SENTENTIAE VARRONIS. Cf. quae in praefatione dixi. Codicem optimum sequar Atrebatensem 305 (A) s. XIII, cuius lectiones adscribam uniuersas; reliquos occasione data adiungam. De eis cf. Chappuisii editio. 1 deest A. moremur Patauinus 101 (P). — 3 sed AP. an si? — 6 ullius A reddita scripsi credita AP utrumque A. — 7 se prima A m. pr. — 9 est hexameter prima syllaba mancus. — 10 et e contra A. — 15 plus est A. —

16. Turpissimum est in datis fenus sperare; pulcherrimum est cum fenore data reddi.
17. Ex animo dantis censeatur munus magnum uel paruum.
18. Nec sequi nec fugere fortunam decet, si modo non obsit magis quam non noceat.
19. Potentius imperare fortunae quam regibus; uir ergo bonus regum est maximus.
20. Amici diuitum paleae sunt circa grana.
21. Vis experiri amicum? calamitosus fias!
22. Non refert quis, sed quid dicat.
23. Captiosus de uerbis disputator canis est aërem captans pro praeda.
24. Qui audit ut auditorum narrator sit, nunquam fiet par docenti.
25. Precarium habet fundamentum, qui ex alienis pendet.
26. Ad profectum scientiae nil aeque impedit ut diffidentia.
27. Mediocriter nosse aliqua non nosse est.
28. Eo hodie philosophia perducitur, ut praeclare nobiscum agatur, si in his aetatem consumimus exponendis, quibus antiqui suae portionemcommodabant contexendis. (29) Apum mella comedimus, non ipsi facimus.
30. O heredes magnifici, qui relictis nil uel falsa addimus! nulla, quam talis, melior esset additio. Quae optima accepimus, ad posteros ex nobis corruptissima peruenient.
31. Imperfectum est quidquid ad emendationem uenit.
32. Puerilis est amicitia, quam non praecessit iudicium.
33. Alit concordiam, mores ad cohabitantium animos formare.
34. Nemo suum putet, quod extra ipsum est.
35. Nullius est, quod multorum esse potest.
36. Vir bonus, quocumque it, patriam suam secum fert; omnia sua animus eius custodit.
37. Eo uultu dimittendae sunt diuitiae, quo accipiendae.
38. Vulgus, quidquid cum gaudio accipit, cum fletu amittit.
39. Philosophiae non accommodari tempus, sed dari oportet; ipsa enim praecipuus est dei cultus.
40. Ex negotio semper otium sumendum: eo tamen, ne ex continua assiduitate necesse sit id deseri.
41. Hic perfecte methodum habet, qui idem est repentinus qui praeparatus.
42. Praeparatis fauor, repentinis gratia exhibenda est.
43. Ex auditis memoriae referas laudem; ex inuentis ingenio.

16 foenus et foenore A ut uidetur. — 17 uel paruum P, om. A. — 18 magis obsit AP. — 30 uel P, om. A. — 33 Varro de moribus, cf. p. 257 sq. — 36 animus eius P accius A. — 41 hic P sic A. —

44. Non tam laudabile est meminisse quam inuenisse: illud enim alienum, hoc proprii muneris est. Neutrum sine altero scientem facit.
45. Non in disciplinis fidem, sed scientiam habe.
45 a. Fides est media opinionis et scientiae, neutram attingens.
46. Elucentissimum est edocendi genus exemplorum subditio.
47. Corrixandi materiam saepius dant definitiones.
48. Nil illi certum, cui nulla diu placet sententia.
49. Quod uerum est, per se lucet; sed non nisi pertinaciter disquirenti apparet.
50. Facilitas intellegentiae ueri parit neglegentiam.
51. Quod intricauit alieniloquium, imperitis est grauissimum: id recolunt, id amant, id magni faciunt; nituntur ut intellegant, gaudent quum sciant, gloriantur quum doceant.
52. Amator ueri non tam spectat, qualiter dicatur, quam quid: intellegentiam ueri sequitur iudicium doctorum: ultimum est dicendi qualitas.
53. Illum elige eruditorem, quem magis mireris in suis quam in alienis.
54. Aut diligendi sunt doctores, aut non audiendi.
55. Inimicorum dicta neglegantur non minus ipsis.
56. Omnia nosse impossibile: pauca non laudabile.
57. Sunt quaedam, quae eradenda sunt ab animo discentis, quia inserendi ueri locum occupant.
58. Incorruptum adolescentem docere unus labor est, corruptum uel duplex uel nil proficiens.
58 a. Sapiunt uasa quidquid primum acceperunt.
59. Contrarie opinari pluribus nec in omnibus conueniens nec in aliquibus incontingens.
60. Multum interest, utrum rem ipsam an libros inspicias. Meus est, clamat philosophia, quem res ipsae docuerunt.
61. Libri nonnisi scientiarum paupercula mónumenta sunt: principia inquirendorum continent, ut ab his negotiandi principia sumat animus, nil aliud agens nisi forte propter id ipsum intermittit, ne omittat.
62. Eo tantum studia intermittantur, ne omittantur.
63. Iniucunda sunt seria, quae non otia exhilarant.

44 illud Victorinus 640 (V) hoc A cett. — hoc V illud A cett. — 45 et 45 a seiunxi.— 49 disquirendi apparendum A; recte inP.— 50 intelligentiae et negligentiam A. — 51 imperitius A. — 52 intelligentiam A ueri scripsi ucro A. — 55 negliguntur A negligentur P. — 56 Varro de re rust. II 1, 3 'Nemo omnia potest scire.' — 57 eradenda sunt P eradenda essent A. — discentis scripsi scientis libri — quia Vincentius Bellouacensis quae P om. A. — 58 docere P doceri A. — 58a segregaui. — 60 inspicias PP. inspicies A quem P quam A. — 61 papercula A. — 63 otia P otium A. —

64. Pauca scientibus eadem ipsis taedio fiunt: (65) nil illi taedio, cui inquirendorum amplae et multae patent uiae.
66. Pulcherrimus locus semper assidenti odibilis est: gaudet natura uarietate.
67. Nil magnificum docebit, qui a se nil didicit.
68. Falso magistri nuncupantur auditorum narratores: sic audiendi sunt, ut qui rumores recensere satis ducunt.
69. Non deprehenditur mentiens in his quae nemo nouit.
70. Virtutes ex tempore mutant genus.
71. Simplex improbabilium assertio dementia est; laus infinita probatio.
72. Excedere communem omnium uel plurium cognitionem pulcherrimum est, si modo non insanis.
73. Aetates cum earum moribus mutari non minus laudabile quam honestum.
74. Tam ridenda in sene puerilitas, quam obstupescenda in puero optimorum morum constantia.
75. Erit, quod omni planum, oratione nulli aperiendum.
76. Nunquam prudentia docuit; res ipsas consule; in his negotiari oportet, si uerum uis eluceat.
77. Hae res non sunt, quas uerborum fecit uenustas.
78. In scriptis quod uerum est ex proximo sumendum, quum † id ea non explicant.
79. Odere multi philosophiam, quia, quum sciri multa necesse sit, non est res tanta nisi amplis contenta spatiis.
79 a. Quum libet euagari, quocumque quid dubium est, uiam inuenit.
80. Spectaculum sapienti pulcherrimum philosophiam inutilem mentientes, quoniam non pollicetur diuitias, studiorum finem. Est autem e contrario pollicitans contemptum imperiosum.
81. Diadema sapientis philosophia quoniam in mente sita est, praemium et menti inserendum promittit; fortuna corpori, ipsa enim in corpore. Hanc imperitum uulgus uidet, quia solo utitur oculo corporeo, in corpore sitam, quae corporis sunt pollicitantem; illam autem intuentur quos mens altior erexit, studium prouexit, oblectamentum attraxit.
82. Imperabis regibus, si imperes fortunae. Qui scies? Contemne ipsam.

68 satis scripsi magis AP. Fortasse magni, cf. 127. — 74 obstupenda AP obstupescenda Vincentius. — 75 oratione P omne A. — 76 rem ipsam A res ipsas P. — 79 quum P, om. A. — contenta spatiis contenta A. — 79a segregaui. — 81 sita P sua A. — inserendum P incend' A. — Num in studia? studium A istuc uita P. —

83. Non quae uel quot legeris, sed quae uel quot scieris attendendum.
84. Nil nouit qui aeque omnia.
85. Cito transcursá citius labuntur.
86. Sic multi libros degustant, ut conuiuae delicias.
87. Renuit philosophia fastidientem stomachum; ad simplicem cenam hilarem inuitat conuiuam, sed mutat pro tempore deliciarum uarietatem.
88. Nescit quo tendat, qui multas sequitur semitas.
89. Tantum uasa retinent, quanti capacia sunt; addita emanant.
90. Non quaecunque auris, suscipit et memoria.
91. Canale fissum est auris, quae accepta memoriae non commendat.
92. Nusquam deueniet, qui quot uidet sequitur calles.
93. Omnia omnibus uel paene adimas; pauperculum ex non ademptis diuitem appellabis. Est igitur pauperies minoribus ampliores aliorum diuitiae. Felicitas et infelicitas ex comparatione, non secundum se sunt. Si nemo plus minusue alio possideat, iam haec nihil sunt; ex inuidia igitur paupertatis nomen profectum.
94. Non essemus pauperes, si nesciremus quid esset paupertas.
95. Nescire quid sit paupertas optimus est ad summas diuitias progressus.
96. Non est miser, nisi qui se esse credit.
97. Vis fieri dives? Nil cogitando tibi addas, sed aliis demas.
98. Ex minimis morum sumere signa licet.
99. Dum uulgus colat iustitiam, nil interest utrum uera praedices.
100. Timorem mortis uulgo non demi, sed augeri, uti expedientius, oportet.
101. Multa scit sapiens, quae cum nemine contulit.
102. Ex meditato non duceris in causam.
103. Lingua mente cuique nocentius est.
104. Non rimaberis uiscera ad uidendum, quid senseris.
105. Ad mores et opiniones audientium prudens uocem formabit.
106. In singulis excellere et nullum profiteri tam laudabile quam difficillimum est.
107. Innatum est cuique suis moribus gloriari: differt autem, quod sapiens apud se, imperiti in publico.

87 coenam codd. — 88 e septenario trochaico ortum uidetur. — 90 et om. A. — 93 pene codd. — ampliores minorum A; recte in P. — Felicitas ... se sunt tantum in Parisiensi 8542 extant. — 98 est pentameter. — 102 mediato A praemeditato P. —

108. Dignus est decipi, qui, cuius rei auctor, eius et laudator est.
109. Non tam modeste quiuis sua miratur, quam aliena; hoc autem fit, quoniam nemo sibi inuidet.
110. Vtilissima est propriae inuidiae mordacitas scribenti publicanda. Quibus scierit facile ignoscendum id mordacius lima coaequet.
111. Imperitiae signum est, quod difficillimum est exigere cito fieri.
112. Nunquam illi ars proderit, cui non primum profuit exercitatio.
113. Nulla iactura grauior est scienti, quam temporis.
114. Se utitur, qui tempore.
115. Non uiuit quicum bene agitur si uiuat: uita non sui causa fit, sed ut in ea praeclarum aliquid fiat. Viatores non eunt, ut eant.
116. Ad quod niti socordia non patitur, id otiosi uotis sibi attribuunt.
117. Ex illaborato maxima attingere desiderat omnis otiosus.
118. Inertes ad quae niti nolunt uotis inhiant.
119. Sic diligendi sunt amici, ut nos nobis odio haberi putemus, si amicos.
120. Ex assiduitate commorandi languet amicitiae desiderium.
121. Ne bonus sit quaerit, qui otii causas sectatur.
122. Qui in magnis excellit, in uitiis etiam laudabitur.
123. Nunquam ad summa tendentem laus frustrata est.
124. Hereditarium putes quidquid audisti, lucrum autem quae inueneris.
125. Inuentores laudat, qui alienis gloriatur.
126. Non strenuum appellabis negotiatorem, qui in nullo rem auxit, nec ego hunc philosophum, qui nil inuenit.
127. Sic audita meminisse magni ducimus, ut si nos magnis ortos atauis praeclarum putemus.
128. Nihil laudabile, quod cuique est possibile.
129. Non est felicitas, quae secum recipit miseriam; non ergo felicem faciunt diuitiae.
130. Adulationis est specimen, quum laus postulationem praecessit.
131. A peritis non obseruandorum plurima imperitiae debentur.

110 scribendi A scribenti P. — num is? coaequat A coaequet P. — 114. 115 A iungit. — ut ea codd. in addidi. — 117 maxime A. — 118 uotius A. — 119 ut nos P ut non eos nos A. — si P sed A. — 122 inuitus A in uitiis P. — 125 in alienis A. — 127 ex hexametris ortum uidetur. — 128 cuique est possibile P a quolibet est posse A. — 130 postulatione A. — 131 obseruan-

132. In his excellere, quae nemo nouit, pulcherrimum est in sciente miraculum.
133. Gloria est scientis stupor ignorantium.
134. Quod experimentum docuit, scripto recognoscitur; quod usu non est compertum, ex scripto non est facile.
135. Quod fieri facile est, dictum intellegi facillimum.
136. Non quaecunque possit, sed quae debeat, demonstrator ad expositionem annectat.
137. Non tam quae prosint, quam quae attineant, considerentur.
138. Citra perfectionem omne est principium.
139. Vltra ueritatem est, qui in planis quaerit offendiculum.
140. Quum uerum subdolae excedunt disquisitiones et interminatae, inefficaces, contentiosae et nil proficientes sunt, sapientibus tum pulcherrima sunt spectacula.
141. Contemnendi sunt ineruditorum contemptus, si ad summa uis progredi.
142. Multi laudem amittunt, quoniam ipsi eam de se praedicant.
143. Hoc uno modo sapiens se laudat, quae in ipso apparent bona in aliis admirando.
144. Praeclare cum illo agitur, qui non mentiens dicit, quod ab Aristotele responsum est sciscitanti Alexandro, quo docente profiteretur se scientem: 'rebus' inquit 'ipsis, quae non norunt mentiri.'
145. Prudenti disquisitio ignotorum tanto iucundior quanto subtilior est.
146. Desiderata non habita magni fiunt, habita uilescunt.
